Cui, contra quem, quam hostilitatem & ubi exercere liceat.

- §. 1388. Caussa belli, an præpotentia. 1389. Quis ex subditis vim exerceat. 1390. vis contra gentem belli minus principalem & adjuvantem. 1391. Contra legatos. 1392. 1393.

* * *

1393. Hostilitas licita. 1394. Illicita. 1395. De percussione
ribus. 1396. Perfidia. 1397. Retorsio, ratio bellica. 1398.
Hostilitas in territorio neutrius partis.

Caput 124.

De jure captorum, rerum erexitarum & contributionum bellicarum.

§. 1399. Ius bello capti. 1400. 1402. Rerum bello erexitarum.
1403. 1404. Ius postliminii 1405. 1406. De æqualitate calamitatum bellicarum inducenda. 1407. Officium subditorum hostis recedentis imperata adhuc faciendo.

Caput 124.

De conventionibus in bello ubiis.

§. 1409 1409.

Caput 126.

De bello minus solenni.

§. 1410.

Caput 127.

De pace ejusque violatione.

§. 1411. Pax universalis, particulat. 1412. 1413. An particularem inire liceat. 1414. 1415. Compitio gravam & amnestia. 1416. 1417. An novum bellum priorem pacem tollat. 1418. Violatio unius alteriusve articuli pacis. 1419. Articuli pacis principales & reliqui.

Caput 128.

De tractandis negotiis forensibus in republica, præsertim Jurisdictionis civilis.

§. 1420. De extrajudicial. & judicial. 1421. Judicium. 1422. Ex quibus constet. 1423. Qualitas judicis, 1424. Potestas. 1425. Officium. 1426. 1427. Caussæ jurisdict. voluntar. 1428. Caussæ petitor. passessor. 1429. Processus 1430. Litigantes principales, minus principal. 1431. 1432. Expen-

* * *

Expensæ litis & sportulæ 1433. 1434. Partes processus
1435 Species processus. 1436. 1437. 1439. Processus me-
dati. 1438. Citationis.

Caput 129.

De tractandis causis iurisdictionis criminalis.

§. 1440. De iudice, iudicio, personis judiciali. 1441. Offi-
cium iudicis. 1442. Partes processus. 1443-1446. Media
probandi. 1447. Tortura 1448. 1450. 1451. Carcer
& similia. 1449. Species processus crimi. 1452. Processus
fugiente reo. 1453. 1454. Mortuo. 1455 Contumace.

Caput 130.

De arte referendi, decernendi & acta atque archiva tractandi.
§. 1456. Ars decernendi & referendi. Archiva tractandi, ar-
chivum, archivarius. 1458. Hujus officium.



INSTI



INSTITUTIONVM IVRIS NATVRALIS,
ARTIS ORDINE DIGESTI, ET AB ARBI-
TRARIIS FORI SENTENTIIS PVR-
GATI,

C A P V T I.

*De Jurisprudentia e naturalis indole, partibus, methodo
& historia.*



§. 1.

Jurisprudentia naturalis est scientia iurium
& officiorum perfectorum inter ho-
mines, quæ ex rerum notionibus de-
ducuntur.

§. 2.

Officia erga Deum, & ea, quae homo sibi ipsi
debet, item quae ex humanitate potius, quam debito,
aliis præstantur, non referenda ad Jurisprudentiam na-
turalem, quum 1) haec imitari debeat Jurisprudentiam
forensem, nec 2) alias inter morum doctrinam & jus na-
turale fines regi possint. Deinde cum 3) omnes fatean-
tur, esse discrimin officiorum perfectorum ab imperfe-
ctis, opus est per singula officiorum genera scire, quæ ad
illam, quæque ad hanc classem pertineant, quod felicius fie-
ri nequit, quam si singula singulis disciplinis comprehe-
das. Nec melius 4) ortæ subinde super gravissimis officio-

Westph. jus nat.

A

rum

rum præceptis controversiae componi possunt, quam ita positis terminis, quibus observatis sèpissime accidere videbimus, ut alter ex ethicis regulis reëste sentiat, alter autem, ex fori indeole rem astimans, jure in alia omnia iverit. Est tamen ab his deviis cavendum, ne aut ea, quæ juris cogentis doctrinam proxime non spectant, plane extra omnem officiorum rationem posita putet juris naturalis interpres, aut is, qui lèsum intra has angustias se restrincentem videt, hunc impietatis damnet, quasi quæ jure non circumscripta putat, ea etiam honestatis regulis non definita esse, fraudere velit.

§. 3.

Fontes juris naturalis unice sunt rerum notiones, & quicquid inde districtis ratiociniis elicetur. Præcepta lètorum, quæ rationes non iniquas, arbitrarias tamen, & ab utilitate magis, quam necessitate petitas, habent, juri naturali non immiscenda. In quo haud parum offendere solent lCti, quando v. g. præscriptionem, successionem legitimam, gradus cognationis, in quibus a nuptiis abstinentium, & similia serio, ut videntur, in jus naturale inferunt, aut id, quod veri simile est, cum eo, quod certum, confundunt, & v. g. de probatione per testes agunt. Nec immiscenda adeo Dei voluntas, ex Divinis litteris manifesta, de qua cæterum nemo sanus sive Numinis reverentia cogitat, nedum ullius hominis auctoritas.

§. 4.

Juris naturalis scientia non ponit, nisi homines, in commercio cum aliis hominibus viventes. Hi vel in republica vivunt, vel extra eam libertate naturali fruuntur. De utrisque tradit hæc juris disciplina. Cæterum omnes eæ partes, quas lCti in suis scholis tractant, etiam hic sub incudem vocari possunt, ut in singulis patet, quomodo ars juris & forensis & naturalis inter se discrepet.

§. 5.

§. 5.

Potest ergo per singulas partes discerni ipsa *juris theoria* a doctrina *practica*. Inter partes autem, ut apud ICtos, sunt hic quoque *jus feudale, criminale, ecclesiasticum, & civile, &*, si ad rem publicam te conferas, *jus publicum & gentium*. In rebus practicis vero, lites tractandi, & in aliis negotiis versandi modum, item acta conscribendi, custodiendi, & quid cuique rei conveniat, decernendi, rationem discere licet.

§. 6.

Jus naturale in usum ICtorum tantum a morum præceptis est discernendum. Qui enim non in fori utilitatem huic officiorum cognitioni vacare volunt, in his necesse non est perfecta officia separatim nosse, quae tum melius cum omnibus reliquis officiis una disciplina conjunguntur. ICti ars autem separatam hic doctrinam non solum desiderat, sed etiam postulat, ut omnes descriptiones nominum cum notionibus, quas ICti rebus subiiciunt, exakte convenient, & omnes illi loci, de quibus ICtus dispergit, plene agitentur.

§. 7.

Summum aliquod juris præceptum, a quo reliqua omnia pendeant, & esse potest, & definitū utile est. Laus ejus in eo consistit, ut secundum, vere summum, & universale sit. Erit autem fere hoc: præstanta sunt aliis, quæ conjunctionis caussa, qualis est inter homines, absolute necessaria sunt; ad ea omnia autem facienda jus est, quæ officiis perfectis erga alias non adversa & ad quæ quocunque officium impellit, quantum hoc officium vinci ab alio fortiori officio, ostendi nequit.

§. 8.

Juris naturalis abusus est, si quis non satis operæ in evolvendis legibus & meditanda earum cohæsione ponat & hoc tantum solatio inscientiam fulciat, quod naturæ & rationi locus sit, donec a ICto, qui alia ad forum profert, per legislatorem nova his substituta esse, doceri possit.

possit. Non enim in quavis quæstione docendus est demum, qui ICti nomen tueri cupit, sed debet ab omni jam, qua opus est, scientia instructus esse, antequam ad negotia tractanda accesserit. Eodem modo & corrigere ac emendare leges velle per juris naturalis doctrinas, non ICti est, sed legislatoris. Lacunas legum hac scientia supplere, earum rationes in naturæ abditis latentes indagare, eoque modo vitium aut virtutem legum cognoscere, is demum verus usus est, ICto spectandus. Præterea emendandarum legum ratio inde hauritur a legislatore.

§. 9.

Quæ cum ita sint, & utilitas juris naturalis addiscendi inde patet, &, cum rationibus firmissimis nitatur hæc juris disciplina, tantique usus sit, frustra sunt, qui de ejus veritate omnino dubitant, idque ad nugas & nærias rejiciendum existimant.

§. 10.

Licet animum ab aliis doctrinis, præsertim morum præceptis, politices, juris constituti, & historiæ cognitione, atque ab universa philosophia, munitum ad hæc adyta, adferre, apprime utile sit, fallunt tamen & falluntur, qui has doctrinas, ipsius juris naturalis loco, vendunt, sicque falsam hederam vino quamvis alias vendibili suspendunt.

§. 11.

Ordo tractandi aptissimus erit, ut ea, quæ extra rempublicam per omnes juris partes naturaliter dici possunt, præmittantur, deinde de republica tractetur, & quid hæc doctrina in singulis juris partibus, quæ extra rempublicam jam concipi possunt, mutet, & quid novi iis addat cognoscatur.

§. 12.

Quamvis æterna sint juris naturalis præcepta, recentioris tamen ætatis demum studio & operæ debetur,

betur, quod diligentius culta, in peculiarem artis formam redacta, & justis fundamentis inaedificata sint. Olim a veteribus Jureconsultis & philosophis arti sua fuerunt passim intermixta. Deinde res incidit in Scholasticos, ubi per seculi barbariem admodum inquinata fuit nobilissima Juris disciplina. Aliam tum viam monstrarunt Nic. Hemmingius & Bened. Winklerus, quam cum laude primus ingressus est Hugo Grotius. Ad hunc affatim scriptae aliorum notæ, & in compendium redactæ institutiones, versionesque in variarum nationum linguas. Aemulatus hunc Joannes Seldenus, & superare voluit demonstrandi rigore Thomas Hobbes. Multos hic nactus & oppugnatores & defensores. Grotii gradibus insistens, & supra hunc se efferens, Samuel Puffendorfius magnam ingenii famam consecutus est, sed & obtrectatores, contra quos ipse, nec aliorum auxilio destitutus, bella gessit strenua. Habuit etiam suos adnotatores & versores. Oculatissimus & a multis præcessorum præceptis, imo & haud raro a se ipso recedens Christianus Thomasius, haud absimilem Puffendorfio expertus est fortunam. Existere præterea multi alii & superiore & præsenti saeculo, qui de jure naturali separatim meriti usque ad Christianum Wolfium, inter quos præsertim Casp. Zieglerus, H. Cocceii & Ad. Frid. Glasey eminent. Vasta de jure naturæ volumina edidit Christ. Wolfius, recentioris philosophiæ caput nobile. Ad latus huic ivit Joach. Ge. Daries, nec ipse incelebris. Secuti alii, quibus ars nostra non minus debet, inter quos Jo. Jac. Schmaussius, Burlamaquius, Vattelius, Dan. Nettelbladtius, vir in hac scena meritissimus, Pütterus & Achenwall, Mcierus, Schcidemantel, aliquie cum nonnullis scriptoribus catholicis, inter quos laus aliis, aliis vituperium debetur.

Dic. de optimis libris, ad hanc juris partem referendis.

C A P V T II.

De status hominis generarim & nonnullis statibus, qui extra rempublicam cogitari possunt, speciarum.

§. 13.

Hominis tantum sunt jura & officia, non brutorum & rerum inanimatarum. Homo autem vel cum statu aliquo consideratur, vel alio modo. Ibi dicitur *persona*. *Status* est, qualitas hominum ad alios extra causam delicti relatorum, unde jura & officia pendent.

§. 14.

Vnus idemque homo potest plures habere personas, quæ singulæ diversi sunt effectus, unde ad iustum de eo judicium capiendum illas omnes mente distinguere & inter se comparare oportet.

§. 15.

Habent etiam Icti *personæ moralis* nomen, quod societatibus hominum tribuunt, quando unius hominis instar spectantur. Inest huic nomini fictio, a qua in iure naturali semper abstinendum. Licet tamen tum brevitatis causa eam vocem & notionem adhibere, quando de singulis sociis eadem res haud dubie repeti potest, unde eos oratione comprehendendi nil impedit. Cendum autem, ne voce hac admissa argumenta inde struantur, quæ fictionis tantum ex indole profiscuntur.

§. 16.

Ergo de persona morali nihil tenendum, nisi quod de societate infra dicetur. Est enim persona moralis quaevis societas, quantum nomine, ut loquuntur Icti, collectivo de ea sermo fit.

§. 17.

Status nonnulli dispescunt in *naturales* & *civiles*. Illi in qualitate physica, hi in ea consistunt quam leges indi-

indiderunt. Aliqui eorum ex societate oriuntur, de quibus infra. Nonnulli absque societatis notione intelliguntur, quibus hic.

§. 17. b.

Non omnia, quæ naturaliter in homine discerni possunt, ejus sunt indolis, ut inde jurium diversitas nascatur, quare apud ICtos negligi debent. Inter ea autem, de quibus ICto disputandum, est 1.) Status *Embryonum* i.e. eorum, qui concepti quidem a matre jam sunt, ex utero tamen nondum prodierunt, item *eorum*, qui ne concepti quidem adhuc sunt.

§. 18.

Ii, qui ne concepti quidem sunt, nulla habent jura præsentia, futura tamen habere possunt, quæ ipsis adimi nequeunt, si ex pacto & providentia majorum ipsis cauta & stabilita sunt. Embryones in juribus futuris pari cum prioribus conditione utuntur, habent tamen & jura præsentia, ea scilicet, ne vitæ ipsorum, si quæ adest, conservationi & integritati noceatur. Alia embryonum jura præsentia non statuenda, quia nescitur, an vivant, nec ne.

§. 19.

2.) Status virilis aut foeminei sexus, jure naturali peculiaris nullus est.

§. 20.

3.) Status infantum, impuberum, minorennum &c. deprehenditur omnino in jure naturali ita, ut aliqua aetas ob infirmitatem & ad promittendum, & ad acceptandum, & ad crimina committenda, adhuc immatura existimanda sit; alia aetas ad acceptandum jam vires habeat, nondum vero ad promittendum, alia ad utrumque, item ad crimina quoque committenda, jam sufficiens dici possit. Sed certi annorum numeri singulis his facultatibus præfigi jure naturali nequeunt.

§. 21.

4.) Status furiosorum & mente captorum ita consideratur a ICto, ut nullius humanæ voluntatis,

imputationis, ex voluntate obligationis, & acceptationis capax putetur, qui omni ratione caret.

§. 22.

5.) Status eorum, qui corporis vitiō laborant, non minus in jure naturali attendendus. Huc a) sensibus orbi, muti, surdi, cœci, quibus jura neganda, quæ sine his sensibus cogitari nequeunt, b) impotentes ad generandum, de quibus in argumēto matrimonii singulāria dicenda, c) deformes & figura corporis irregulāri a natura distincti, qui, si insignes sunt ad deformitatem, animæ tamen humanæ signa ostendunt, *portenta* dicuntur, a *monstris* distinguenda, in quibus, licet ex hominis congressu generatis, nihil apparet, quod animam humanam prodat. Illa omni aliorum hominum jure potiuntur, quod corporis forma non impedīt. Hæc ad homines a ICtis non referuntur, quia signa humanitatis defūnt.

§. 23.

6.) Aegroti a sanis, donec mentis compotes manent, jure non differunt.

§. 24.

Status civiles, qui hunc in locum trahi possint sunt pauci.

1.) Illegitimorum natalium a legitimis discriminē aliquod cogitari quidem posset, nihil tamen præcipui confert liberis a legitimis parentibus origo præ reliquis, quibus ejusmodi natales non contigerunt, quod jure naturali allegari posset.

§. 25.

2.) *Infamium* status i. e. eorum, qui corrupti ingenii & pravæ voluntatis iudicium apud alios malefactis provocarunt, illos privat juribus, quæ a bona existimatione pendent. In infamia ipsa sunt quidem gradus, ut major a minori infamia dignosci posse, sed utilitatis parum haberet, ad specialiora descendere.

§. 26.

§. 26.

3.) Status *cognatorum* s. eorum, inter quos est ex generatione erga se necessitas, si a liberis discesseris, quibus officia peculiaria debent parentes, nullus est. Unde parum refert, lineam collateralem a recta hic discernere, gradus eorumque computationem docere, aut de consanguinitate adfinitatemque tradere. Majus officium ad felicitatem cognatorum præ extraneis adjuvandam ad ethicam pertinet. Ascendentibus nihil debent descendentes finita educatione, quod ICTus docere possit. Cognatos in caussis contra extraneos suspectos esse, merito statuunt ICTi.

CAPVT III.

De actione generatim & necessaria, libera, invita, voluntaria, bona, mala speciatim.

§. 27.

Mutationem ex principio interno producere, est *agere*, unde hominis *actio* s. *factum*, est ejusmodi mutationis productio. Hæc *interna* s. *cogitatio* est, si aliorum sensus non potest tangere, *externa*, si potest. *Actio* ergo *omissiva* iCtorum, quam *commissione* opponunt, quaque mutatione nulla producitur, non est *actio*, licet omissione *actionis*, sit talis animi aut corporis conditio, de qua iCto in casu obvio, præsertim ad *judicandam imputationem*, disputandum est. *Pati* est mutationem subire a principio externo ortam.

§. 28.

Omnis *actio* veri nominis philosophis dicitur *libera*, seu moralis, si potuisset etiam omitti, opposita ei mutationi in homine, quæ vel ex machina corporis animive originem habet, vel externo a principio pendet, quæ potest dici *necessaria*. Ab hac differt *actio invita*, ad quam quis suo consilio quidem descendit, sed ob coactio-

nem externam ab alio adhibitam, seu mali, quod alter alias minatus est, evitandi causa ex justo metu suscepta, opposita ei, quæ sponte fit.

§. 29.

Licet actio invita inter liberas philosophorum actiones referenda sit, quia tamen & in imputatione & in obligatione idem de ea dicendum, quod de necessaria, scilicet utramque in hac non minus, quam illa, cessare, effectu haec species in scholis Ictorum non differunt.

§. 30.

Licet actiones brutorum sint quodam modo liberae, de horum tamen poena aut juris vinculo nil praeceperunt legislatores, inde nec Ictus in disciplina juris naturalis de his disquirit. Rerum inanimatarum autem actiones non dantur.

§. 31.

Actio hominis libera non est, nisi quæ cum usu rationis suscipitur, aut in qua ratio adhiberi potuisset. Potest esse vel præmeditata vel subito edita. Ergo quo facilior rationis usus in rebus, ubi ea superhabita est, quo majores animi dotes, quo cultior intellectus, quo minora ejus impedimenta, quo plura animo obversata, quæ in contrarium mouere debuissent, quo longior deliberatio, distinctior cognitio, quo magis in potestate fuit, id, quod perperam factum, aliter facere, eo liberior est actio.

§. 32.

Actio, quæ officio conformis, *bona*, quæ huic in conveniens, *mala* dicitur. Laus inde aut virtutiprium actionis non ab effectu, quem habuit, sed a negligetu aut custodia officii aestimenda.

§. 33.

Cum leges naturales a jure constituto singularem rerum publicarum sœpe discrepent, potest accidere,

Cap. IV. De actione recta, dolo, culpa casu. II

dere, ut secundum hoc actio labe careat, quæ per illas notatur, & inverse. Item potest aliquid extra certum rerum nexus, v.g. extra rem publicam, officio non repugnare, sive bonum esse; quod secus foret intra illum.

§. 34.

Sunt, qui putant, tum, si animi aut corporis facultates ad id dirigantur & applicentur, ad quod natura aptæ sunt, & cuius causa ab hac videntur esse concessæ, tum actiones ita prodeentes esse bonas; reliquas esse malas. Sed innumera sunt ea, ad quæ facultates hominis idoneæ sunt, ut certo definiri nequeat, quisnam vere fuerit naturæ in iis concedendis nutritus, & sunt in his, ad quæ aptitudo non deest, multa haud parum officiis contraria, quæ nolim ideo laude digna putare, quia aptissimus ad ea suscipienda fuerit autor.

Wolf. Jur. nat. Tom. I. §. 412. *gratia cibum ac potum appetere
Solius voluptatis percipiende licitum non est.*

C A P V T IV.

De actione recta, dolo, culpa, casu.

§. 35.

Actio, in qua omnes animi & corporis vires ita applicatae, ut applicari officium jubebat, est *recta*. Ad hunc sufficiens, quantum haberi potuit, cognitio, sincerum de re judicium, voluntatis in optimam partem inclinatio, cauta & promta executio requiritur.

§. 36.

Defectus in rectitudine a nonnullis in *vincibilem* & *invincibilem* dividitur. Sed cum non defecerit homo in iis, quæ evitare non potuit, hæc distinctio merito rejicitur, & defectus nullus, nisi vincibilis, admittitur.

§. 37.

§. 37.

Voluntatis directio ad aliquid agendum, dicitur *propositum*, s. *decretum*. Directio voluntatis ad exitum, qui fecutus est, hujus intuitu *intentio*, quæ si alium præ eo, qui fecutus est, ne optavit quidem auctor, *directa*, si alium præ hoc optavit, egit tamen id, ex quo haud difficilis, quod accidit, sequi potuit, quam quod præoptabat, *indirecta* vocatur.

§. 38.

Aetio non recta, quæ ex proposito commissa, *dolus* dicitur, quæ sine proposito, *culpa*. Eventus nec dolo nec culpa ortus, est *casus*. Patet autem, hæc, quæ contigerunt semper ad aliquem esse referenda, cum idem eventus eodem tempore plures tangens, unius dolo, alterius culpæ, tertii intuitu autem casui sœpe tribui debeat.

§. 39.

Doli vitium est in voluntate, culpæ ratio in neglegtu vel justæ intelligentiæ ac scientiæ, vel judicii, aut deficiente voluntatis aut corporis promptitudine & solertia est querenda.

§. 40.

Dolus, quo alter in errorem inducitur, nomen habet *fraudis, fallacia, machinationis, circumventionis*.

C A P V T . V.

De Imputatione.

§. 41.

Licet imputatio apud ICtos plerumque in finistram partem accipiatur, non plane tamen hi absunt etiam a sensu meliore. Est igitur generatim actus, quo quis per actionem liberam causa ejus, quod fecutum est, factus esse judicatur.

§. 42.

§. 42.

Quo plus rationis in quoquam posita est, unde ortus est eventus, & quo liberior hæc actio, quæ rationem continet eventus, eo magis imputatur, quod accidit.

§. 43.

Dolus & culpa sunt actiones liberæ, & imputandæ, minus tamen hæc, quam ille, quum in promptu habere omnes vires, non tam in potestate nostra sit, quam, optime perspecto officio, data opera in transversum non moliri. Præterea sunt in dolo & culpa gradus. Casus imputari nullo modo potest.

§. 44.

Rebus inanimatis nil potest imputari. De imputando animalibus irrationalibus facinore non disputat ICtus. Hominibus ratione destitutis eo tempore, quo quid ab iis factum est, imputari nequit. Si tamen iis imputari potest, quod rationis usu caruerint in eo, quod factum, tum ipsa actio suscepta illis, ad culpam saltim, imputari debet.

§. 45.

Si in actione edita id tantum spectatur, quod necessarium est, ut hoc vel illud nōmen accipiat, dicitur *mutua*, reliqua, quæ in illa discerni possunt, & cum ea conjuncta sunt, sunt circumstantiæ ejus.

§. 46.

In judicando facto non tantum actio nuda inspicienda, sed attendendum etiam ad circumstantias, v. g. personæ, loci, temporis, effectus, gradus dolii vel culpæ, quarum quædam influunt in judicis sententiam, quædam secus, unde ICti perperam: Minima circumstantia variat jus seu rem; cum dici debeat: Minima circumstantia variare potest rem.

CAPVT

C A P V T VI.

De auctore & socio.

§. 47.

Auctoris nomen vario sensu venit apud ICtos. **H**a-
bent auctores rixæ, auctores & antesignanos, au-
ctores & executores. Frequentissimus autem & juri ma-
xime conveniens usus est, ut is *auctor* dicatur, cuius
nomine & voluntate omnis res acta est. Quicquid enim
alii faciunt, verum non suo, sed alieno, nomine, ejus
alius potius, quam ipsi, auctor censeri debet.

§. 48.

Plures, quorum nomine conjunctim res effi-
citur, dicuntur *consortes* s. *coauctores*. Requiritur au-
tem in his, ut unum sit negotium, cui omnes intercesser-
runt: Si enim plura sunt, quæ singuli egerunt, inter se
non connexa, ad quæ inter auctores non fuit conjunctio,
licet ejusdem generis molimina sint; non oriuntur tamen
consortes, sed auctores plures rerum diversarum inter se
quoque diversi.

§. 49.

Qui ad actionem alterius, ut ea exitum ha-
bere possit, opem consiliumve confert, est *Socius*. Hic
vel animo vel corpore adfisit, illud *consilium*, hoc *au-
xilium* dicitur.

§. 50.

Id autem, quod socius confert, "aut parum, ab-
est ab executione, vel ipsam adeo executionem comi-
tatur, & maximum momentum ad exitum habet, vel ejus
momenti non est; ibi socius dicitur *proxime*, hic *remote*
concurrens. Consilium hoc intuitu dividitur in generale
& speciale, quorum hoc cum cohortationibus, scrupulo-
rum exemptione, opportunitatis ostensione aliisve con-
junctum. Auxilium pari modo vel proximum vel remo-
tum dicitur.

§. 51.

§. 51.

Qui post peractum facinus aliquid faciunt committentis causa, quod huic conduit, *fautores aut participes* dici possunt.

§. 52.

Potest homo etiam *omittendo* v. g. non impediendo, non manifestando &c. actionis commissae reus fieri. Id vero in eo tantum dicendum, cui speciali vinculo ab hac negligentia interdicebatur, cum ordinario aliorum negotiis se immiscendi perfectum officium desit.

§. 53.

Mandatum & jussus faciunt auctorem, executio autem mandati alieni, socium. Consilium dans, s. quod idem, suadens, semper est socius, præcipiens, jubens, mandans, semper est auctor, adjuvans potest vel auctor esse vel socius. Ultimum dicendum etiam de eo, qui consensum, ab alio expetitum, in rem gerendam dedit.

§. 54.

Laudator rei peractæ nec auctor, nec socius, nec particeps est, licet ipsa ejus collaudatio possit peculiare esse facinus, unde in foro reddatur obnoxius. Laus rei adhuc imminentis potest laudatorem negotio postea suscepto implicare.

§. 55.

Receptio & occultatio rerum aut eorum, qui facinus commiserunt, si ante rem actam non promissa, facit tantum partipem.

§. 56.

Qui dictis suis alterum ad agendum semel impulit, postea dicta revocando a societate rei gestæ non penitus liberatur.

CAPVT

C A P V T VII.

De consensu.

§. 57.

Consensus est convenientia voluntatis nostræ cum voluntate alterius, in re, ad quam voluntas nostra requiritur. Hæc convenientia si deest, dicitur *dissensus*.

§. 58.

Consensus verbis aliisve signis declaratus dicitur *expressus*. Qui ex eo, quod dictum factumve est per argumentum colligitur, est *tacitus*. Uterque sub *veri* consensu appellatione comprehenditur.

§. 59.

Opposuerunt huic I^cTi Romani consensum *præsumtum*, qui fingitur, licet verba, facta, imo & scientia ejus, in quo fingitur, desint. Adsumptus ille, ut alia veterum figmenta, in rebus, ubi jam absque hac fictione eadem obligatio ex æquitate & lege immediate deduci potuisset. Inde in eo quoque locum habere creditum est, qui facultate consentiendi per ætatis immaturitatem aut animi hebetiem destitutus. Ergo in his tantum speciebus ille statundus, ubi jam absque consensu, sua sponte, ex lege est obligatio, & in jure naturali ab hac fictione, ut omnibus, merito abstinentium.

§. 60.

In consensu tacito statuendo, opus est, ut ex dicto factove ad consensum, qui inde colligitur, sit strictum & necessarium argumentum. Id quod tantum verisimile est, ad tacitum consensum non sufficit, quod I^cTi dicunt, *factum debere esse concludens*.

Wolf J.N. Tom. 3. §. 921. *Qui adseveranti credere non vult,*
nec expresse dicit, se nec juranti fidem habiturum jura-
mentum tacite defert. Tom.

4. §. 139. *Qui alteri donat,*
quia moriturus erat, tacite
sibi reservat revocationem
ante mortem, quando visum
fuerit.

§. 61.

§. 61.

Is, qui in re, quam agi videt, & in qua consensus ejus necessarius est, tacet, sive consensus ejus sit expeditus, sive non, potest quidem consentiendi animum habere, potest autem & permultas alias habere silendi causas. Ergo a silentio ad consensum tacitum infirmum est argumentum. Unde falsa regula: Qui tacet, consentire videtur. Nec verior fit, addita clausula: *Si loqui debuisset & potuisset*, quia id, quod clausula requirit, aut in omni silentio adest, aut numquam. Loqui potest quivis, qui lingua non captus, & loqui debet quilibet, quia ejus interest, ne ex silentio consensus tacitus a quoquam derivetur. E contrario autem perfecta ad loquendum necessitas numquam est, cum cuiusvis liberi hominis, ut aliarum rerum, ita & loquendi aut silendi, arbitrium esse debeat.

Wolf. J. N. Tom. 3. §. 1002. *Qui habet ius negativum & non prohibet, si conce-* *dens facit, quod huic juri nullum relinquunt locum, ius repudiat.*

C A P V T VIII.

De rebus, fructibus, usuris, pretio, mercede, honorario, impensis, essentialibus, naturalibus, accidentalibus, accessionibus.

§. 62.

Res Ictis est, quicquid est & esse potest, quantum utilitati singulorum inservire, sique de eo lis, patrimonium concernens, oriri potest.

§. 63.

Res sunt vel futuræ vel præsentes. Illæ vel certæ vel incertæ. Incertæ, cum in fructibus expectandis consistunt res speratae, reliquæ spes simplex dicuntur.

§. 64.

Quando de re singulari statuitur, ut est ab omnibus aliis rebus singularibus discreta, id, de quo Westph. *jus nat.* B statui-

statuitur, dicitur *Species*. Si de re statuitur, sed sub nomine, rem singularem a similibus non discernente, vocatur *genus*.

§. 65.

Res, quæ sensus non afficiunt, dicuntur *incorpores*, reliquæ *corporales*; illas non habet iCtus, nisi jura. Corporales sunt *immobiles*; si loci mutatio in iis vel plane nulla est, vel saltim salvæ transferri nequeunt, alioquin sunt *mōbiles*.

§. 66.

Quicquid cum re tamquam principalī conjunctum, dicitur *causa rei*.

§. 67.

In re distinguunt iCti *substantiam*, & *fructus*. *Illa est*, quicquid in re continuo perdurat & quo salvo nihilominus subinde utilitas rei percipi potest. *Hilatius capto* vocabulo omnem utilitatem comprehendunt, quam res, salva substantia, præstat. *Angustiori* sensu sunt, quæ ex re frugifera generantur.

§. 68.

Fructus, latiori sensu dicti, sunt vel *naturales* vel *civiles*. *Naturales* sunt illi, qui in sensu angustiori fructus vocantur. *Civiles*, qui præter hos, latiori sensu ad fructus referuntur. Sunt etiam omnes fructus, latiori illo sensu, vel *percepti* vel *percipiendi*. Illi, qui vere per venerunt ad possessorem, hi, qui pervenissent, si debitam adhibuisset diligentiam.

§. 69.

Fructus naturales iCti dicunt *naturales in sensu adstrictiore*, si sine speciali cura & cultura generantur, *industriales*, si hac cura & cultura speciali indigent.

§. 70.

Impensa est sumptus, rei intuitu, ideo factus, ut inde oriatur commodum, quod antea deerat. *Fit*, vel

vel in fructus vel in rem. *Illæ* impensæ tantum prosunt, donec fructus percepti sint. *Haæ* continuo durant, & sunt *necessariæ*, si conservant rem, *utiles*, si ejus redditus & usum augent, *voluptuarie* si tantum jucunditatem adjuvant.

§. 71.

Aestimatio *verum* *vel* *operarum*, est quantitas earum, quando ad alia referuntur, præsertim ad pecuniam. *Hæc* speciatim dicitur *preium*, si ipsam rem *aestimat*, *merces*, si operas aut usum rei, quæ sine consumptione prodest, *usura*, si rei, quæ sine consumptione haud prodest.

§. 72.

Usuræ vel ex conventione, vel ex mora debitoris, vel ex æquitate sola ob usum pecuniæ nostræ, quem alter sibi permisit, peti possunt. Ex conventione solvendarum quantitas mero pascientium arbitrio relinquenda. Ex mora non debentur usuræ, nisi quantum lucratus est debitor, aut lucrari potuisset creditor. Ex æquitate debentur, quantum lucratus est debitor, tum, si inconsulto domino pecunia usus est. Si pecunia credita, nec usuræ specialiter conventæ, tum de iis nec intuitu quantitatis, nec intuitu obligationis, certi quidquam statui potest.

§. 73.

Honorarium est, vel quicquid solvitur absque obligatione perfecta, sed tantum remunerandi animo, pro operis alterius, aut usu rerum ejus, vel quicquid solvendum, licet ex obligatione perfecta, pro operis liberalibus. Posterior nomine tantum a mercede differt, prius est donum, a contractu, quo operæ aut usus rei præstitus, diversum.

§. 74.

In omni quoque re distinguuntur *essentialia*, quæ salva notione abesse nequeunt, *naturalia* quæ salva notione abesse possunt, adesse tamen creduntur, donec ratio contrarii pateat, *accidentalia*, quæ possunt adesse, sed abesse creduntur, donec probetur contrarium.

§. 75.

In omni re præterea distinguenda res ipsa, ejusque *accessiones* (die Pertinenzstücke) i. e. res a re principali diversæ, quæ tamen ut partes rei principalis spe-
ctandæ.

§. 76.

Quæ naturaliter cum re principali cohærent, quæ utilitatis cauſſa rei principali adfixa, ea, quibus res principalis, ut uſum habeat, carere plane non potest, quæ ex conſuetudine rem principalem ſemper ſequi ſolent, quæ certæ rei principali tantum apta ſunt, ad aliam rem ægre attemperanda, & quæ a re divelli nequeunt, ea pro accessionib⁹ ad rem principalem partinentibus ſunt habenda.

C A P V T IX.

De legibus naturalibus.

§. 77.

Lex latifimo in sensu est omnis norma, officia perfecta hominum inter ſe statuens. In angustiore, est norma ab alio alii præscripta, officia ejusmodi concernens. In angustissimo est norma ita præcripta, omnes cives reipublicæ, aut universum rerum personarumve genus concernens.

§. 78.

Lex naturalis non niſi in sensu latifimo dici potest, cum hic nihil ab uno alteri præscriptum esse, ponatur.

§. 79.

Leges naturales omnes quæſtiones juris plene definiunt, ad omnes homines, quibus aliæ normæ non præscriptæ, vinculum ſuum extendunt, inter ſe apte cohærere debent, fuerunt ſemper eruntque, dum fuit eritque hæc rerum universitas, & eo ſenſu necessariæ ſunt, quod per plene probantia ratiocinia ex notionibus rerum deducantur. Mutari autem poſſunt, ab earumque obſer-

observantia homines liberari in republica, quando id reipublicæ salus permittit, aut exigit, quia aliæ rerum rationes aliam philosophiam postulant. Nec utilitatem habet, aut clare intelligi potest regula: Quod addi ac detraхи juri naturali possit, non autem illud tolli per leges in republica.

§. 80.

Collisio scilicet pugna legum naturalium est, si in even-
tu quodam plures regulæ, singula officia jubentes, ita
concurrunt, ut eae simul impleri non possint, sed, altera
observata, altera negligenda sit. Hanc autem collisionem
contingere posse, inde perspicuum est, quia singula, sepa-
ratim considerata, saepe aliter judicanda sunt, quam cum
aliis conjuncta & complicata.

§. 81.

Lex est *permisiva*, quæ faciendi jus dat, *præceptiva* autem vel *prohibitiva*, quæ faciendi aut omittendi officium imponit.

§. 82.

Lex *imperfecta* est, quæ jus aut officium im-
perfectum constituit, *perfecta*, quæ utrumque perfectum.
Leges ICTORUM naturales semper sint perfectæ oportet.

CAPUT X.

De negotiis forensibus, pactis & ultimis voluntatibus generatis.

§. 83.

Actio, in qua de officio & jure perfecto dici potest, dici-
tur *negotium forense*.

§. 84.

Negocia forensia vel jura & officia perfecta produ-
cunt, aut saltim destinata sunt, ut jura aut officia perfe-
cta vere & recens constituant, vel minus. Priora vel sunt
licita, vel *illicita*, haec legibus sunt adversa, illa conve-
nientia. Licitæ sunt *valida*, si effectum, cui destinata
sunt, habent, *invalida*, si non habent.

§. 85.

Negotia forensia, quæ in mentis declaratione, seu significatione voluntatis & cogitationis verbis facta, consistunt, sunt *assertiones*, si tantum testimonium rei, quæ est, continent, non ad ea, quæ fieri debent, animi destinationem. *Dispositiones* dicuntur, si sunt oppositæ indolis, attamen serio & ideo factæ, ut effectum habeant.

§. 86.

Affectiones præstandi nominant declarationes, quæ *dispositionis* indolem haberent, si serio, & effectum constantem consequendi causa, factæ essent, ita tamen factæ non sunt. *Acceptationes* vocant declarationes eorum, quibus promittitur, quo jus promissione sibi delatum agnoscant.

§. 87.

Dispositiones factæ cum animo, ut alter acceptet, & inde **jus** perfectum habeat, quod disponens ab ipso recipere & revocare non potest, dicuntur *promissiones*, reliquæ quæ, licet seriæ sint, tamen hanc destinationem, quæ in promissione est, non habent, dicuntur *dispositiones* in sensu angustiori.

§. 88.

Promissio, antequam acceptatio alterius partis acceptat, dicitur *oblatio*. Promissio autem acceptata, quam impleri acceptantis interest, dicitur *pactum*.

§. 89.

Per assertiōnēm novum officium non contrahitur. **Dispositio** quoque in sensu angustiore autorem haud obligat, nec assertiōnis præstandi alijs effectus est.

§. 90.

Acceptatio **jus** quidem, non vero officium gignit, nisi cum promissione reciproca conjuncta sit. Promissio post acceptationem non potest revocari, antea potest.

§. 91.

§. 91.

Declarationem, qua juris alicujus in alterum translatio innuitur, esse promissionem, inde cognoscitur, si facta est, vel eo, qui jus inde habere debet, praesente, vel saltim in conspectu mandatarii ejus, aut talis hominis, qui absque mandato, acceptandi caussa, ejus negotia se gestorum declaravit, vel promissor promissi caussa misit nuncium vel epistolam ad eum, cui obstringi vult. Horum si nullum est, cessat promissionis signum, & adsertio praestandi tantum adest.

§. 92.

Verba honoris seu verba, alteri placendi caussa prolati, quae ex nostra mente manifesto eum sensum, quem prae se ferunt, non habent, & *joci* s. verba vel facta, oblationis catissa, prolata vel edita, quae ex eadem mente profecta, promissionem & obligandi vim non inferunt.

§. 93.

Acceptatio, si promissio in merum alterius commodum cedit, jam facta est, quando haec ad scientiam acceptantis pervenit, in reliquis tum demum. si hic perspicue declaravit, se velle conditiones sibi oblatas accipere. Ut autem is, qui conditiones obtulit, iterum resciverit, eas alteri parti placere, non est necessarium, nec firmitas negotii ejus suspenditur.

Wolf. J. N. Tom. 4. §. 168.

In omni actu mere liberali acceptatio praesumitur. Grot.

L. 2. c. 11. §. 15. censet, in conventionibus quae ad mutuam pertinent obligationem requiri, ut & pro-

missor acceptationem factam esse intellexerit. An post mortem promissoris adhuc acceptari possit, decidit distinguendo inter ministrum promissionis significandæ & faciendæ, ita ut hic mors obsit, ibi secus.

§. 94.

Inter dispositiones in sensu restrictiori est ultima voluntas, quae talis est dispositio, qua quis definit, quid de bonis suis post mortem fieri velit. Huic, inter pacta, simile *pactum successorium*, seu tale, quo jus hereditarium alteri

conceditur, idque si facultatem revocandi adjectam habet, accipit nomen *pacti successorii revocabilis s. donationis mortis causa.*

C A P V T XI.

De errore, metu, aliisque affectibus & simulatione.

§. 95.

Agentem ignorantia & error haud raro, aut metus, movet. *Ignorantia* est cognitionis absentia. *Error* est confusio falsi cum vero in animo. *Metus* est tedium ortum ex malo, quod jam infertur, aut inferendum animo ostenditur. Sumitur etiam pro ipsa ostensione mali, quæ proprie vis nominatur & metum efficit. *Vis* enim homini illata, est omne factum externum, quo alter ad actionem necessariam vel invitam perducitur. Si libertatem actionis tollit, dicitur *ablativa*, si tantum invitum impellit, *compulsiva*.

§. 96.

Ignorantiæ sola in agendo numquam subest, sed semper in errorem declinat.

§. 97.

Errans in dolo numquam est, potest tamen in culpa esse, imo & culpa vacare.

§. 98.

Si quis errat, vel potest dolus alterius illum in hunc errorem induxisse, vel fecus. Numquam autem ejus, qui errat, voluntas est in rem, quam errore decernit.

§. 99.

Metus quoque potest vel ab eo, a quo oritur, esse injectus, prædicendo & ostendendo malum, quod inferre vult, aut vere jam illud inferendo, vel, absque illato malo, aut ostendo, metuens, sibi discrimen ex indiciis potuit præfagire.

§. 100.

§. 100.

Est porro metus vel *justus* vel *injustus* duplici sensu.
Altero, quo *justus* est, quem inferendi jus habuit auctor,
injustus, ad quem inferendum jus non habuit. *Altero*,
quo *justus* est, ubi malum, quod animum commovit, est
alicujus momenti, & non improbabile, quod solet homi-
ne in constanteri movere, *injustus*, ubi aut inverisimile, aut
leve est, quod metuitur.

§. 101.

Metus non tantum illatus, sed & non illatus attendi
debet, si rerum rationes tales erant, ut indubium esset
malum, quod tacite protendebatur.

§. 102.

Metus *injustus* secundo in sensu a *ICtis* non attendi-
tur, & rem non mutat. *Justus* metus priore sensu vitium
rei non adfert, attamen *injustus* eo sensu, si simul *justus*
est significatu altero.

§. 103.

Non minus *ira* aliquic adfectus in rationem veniant
apud *ICtos*, non tamen ita, ut, his abrepti, omni plane
libertate destituti fuisse, aut ei omnino æquiparandi esse,
qui invitus egit, dici possint.

Wolf. J. N. Tom. 4. §. 82. *um impetu abreptus, dona-*
Donatio non valet, si quis verit aut aliud pactum inive-
naturali quodam adfectu- rit,

§. 104.

Simulatio est actio externa, data opera contra inten-
tionem, quæ in animo est, suscepta. Ea vel *bona* vel
mala est. *Mala* est, si finis ejus est res illicita.

§. 105.

In fraude semper est *simulatio mala*, & omnis simula-
tio mala est *fraus*. *Dolus* igitur *bonus* dici nequit, nisi
simulationis loco dolus dicatur, quo casu est idem, quod
simulatio bona.

Grot. L. 3. c. 1. §. 11. docet est, formam consistere in reprehendacii, qua illicitum, gnantia cum jure alterius.

§. 106.

Ad simulationes malas pertinent ea, quae dicunt pallia, & fraudes legis.

§. 107.

In omni simulatione valet regula: Plus valere, quod agitur, quam quod simulate concipiatur.

C A P V T XII.

De conditione, die, modo, causa, demonstratione, juramento.

§. 108.

Tam legibus, quam negotiis forensibus, accedunt variae adjectio[n]es, ut conditio, dies, modus, demonstratio, causa.

§. 109.

Conditio est eventus incertus, a quo jus suspenditur. Est vel in praesens seu preteritum directa, vel in futurum. Item est vel *possibilis*, si contradic[t]io ei talis non inest, ut existentia cogitari nequeat, vel *impossibilis*, si contradic[t]io talis inest. H[oc] vel naturaliter vel civiliter impossibilis est s. turpis. Impossibilis tantum improprie vocatur conditio, cum nil incerti contineat.

§. 110.

Conditio impossibilis naturalis civilisve vitiat promissionem & dispositionem ita, ut si is, cui turpe quid conditionis loco injunctum, turpiter se dederit, nihilominus id, quod præmii loco constitutum erat, petere nequeat. Conditio impossibilis ita adjecta, ne existat, facit dispositionem puram.

§. 111.

Possibilis conditio est *poteſtativa*, si a viribus ejus, cuius interest, pendet ejus implementum, *casualis*, si ille nil ad hoc implementum conferre potest, *mixta*, si conferre

ferre potest partem, pars autem ab ejus viribus non pendet.

§. 112.

Conditio potestativa & mixta, quamvis non impleta, pro impleta habenda est, si per studium, illam impletandi, menti disponentis jam satisfactum.

§. 113.

Porro conditio dicitur *resolutiva*, si finis juris ab ea pendet, *suspensiva*, si initium. Ea divisio semper ad certum aliquid jus referenda, cuius vel finis vel initium spectatur. Alioquin omnis conditio & suspensiva intuitu unius, & resolutiva est, intuitu alterius juris, eodem tempore.

§. 114.

Conditio *resolutiva* dat jus praesens, sed temporarium, suspensiva futurum. Pendente hac conditione jus quæsitum eo modo jam adest, ut exspectari debeat, an existitura sit conditio, nec quidquam interea fieri, quod impediret jus, si postea conditio existeret.

§. 115.

Conditio potestativa & mixta est *affirmativa*, si aliquid faciendum injungit, *negativa*, si aliquid omittendum.

§. 116.

Conditio *tacita* & *interna* dicitur, quæ etiam non expressa, fuisset subintelligenda. *Externa*, quæ non subintelligitur. Interna, licet diserte addita, pro conditione vere non est habenda.

§. 117.

Conditio existens retrotrahitur, &c, si tatus redditur is, qui sub conditione ad præstandum tenetur, fore, ut, non existente conditione, omnia in integrum restituantur, præstatio statim facienda, tam in conditione adformativa, quam negativa.

§. 118.

§. 118.

Dies est tempus, a quo, aut ad quod, iūs dirigitur. Est *certus*, si non potest non existere, *incertus*, si fieri potest ut non existat.

§. 119.

Dies incertus æquiparatur conditioni. Potest tamen interdum implemento tantum, non ipsi juri, esse adjectus. Quo casu jus purum concessum, & nonnisi intervallum aliquod ad implementum indultum est, quo elapso is plene potitur spe, qui adhucdum sperabat, quamvis non exacte ea omnia acciderint, quæ definita erant.

§. 120.

Causa est ratio movens voluntatis, ab autore declarationis expressa.

§. 121.

Causa expressa si falsa esse postea deprehenditur, corruit dispositio, nec inaniter illa adjecta creditur, sed in errore potius fuisse dispositionis auctor, donec doceatur contrarium.

§. 122.

Modus est finis, in declaratione expressus, quem ille, cui aliquid præstandum, hujus commodi præstisti causa, & ope ejus, assequi debet.

§. 123.

Demonstratio est allegatio notarum, quæ in re aut persona, de qua sermo, deprehenduntur, ab autore verborum facta.

§. 124.

Demonstratio licet falsa non vitiat dispositionem, si de re, aut persona, quam innuere voluit auctor, certo constat.

§. 125.

Modus habendus pro non adjecto, si neminis refert, an ei satisfiat, nec ne, nisi per modum conditionis simul additus sit. Cæterum de cautione hic idem dicendum, quod in conditionibus.

§. 126.

§. 126.

Jusjurandam est invocatio Dei, tamquam testis veritatis & vindicis mendacii, ac perfidiæ, confirmandæ adseverationis aut promissionis caussa, facta.

§. 127.

Si adseverationi adjicitur, hæc majorem fidem habere creditur; si promissioni, tum magis a violatione promissionis sibi cauturus putatur promissor; cæterum promissio, quæ sine juramento invalida foret, ob accedens juramentum non convalescit. Juramento enim nihil inest, nisi expressio rerum, quæ ita sunt, quamvis non expressæ. Deus, sive invocatus sive non invocatus, est veritatis testis, & mendacii ac perfidiæ ultor. Præterea si quod majus vinclum ex juramento esset, id erga Deum esse oporteret. Jam officia ergo Deum pertinent ad ethicam non ad forum.

C A P V T XIII.

De obligatione pactorum.

§. 128.

Pacta jure naturali a contractibus non differunt, sed cum his eadem res sunt. Dividuntur autem contractus a Ictis 1) in *veros* & *quasi contractus*. Illi consensu vero utriusque contrahentis nituntur, & sunt vel expressi vel taciti, hi a consensu præsumto unius partis obligationem habent. Sed hæc distinctio per ea, quæ supra sunt dicta, in jure naturali reprobanda.

§. 129.

2) Pacta sunt vel principalia vel minus principalia. Hæc tantum alterius pacti caussa ineuntur, illa sui caussa. Hæc sunt *præparatoria*, si inserviunt futuro pacto alii, facilius ineundo, *adjecta*, si naturæ pacti alterius aliquid addunt aut detrahunt.

§. 130.

§. 130.

3) Sunt vel *simplicia* vel *composita*. Illa plura alia pacta ad naturam suam non requirunt, hæc requirunt.

§. 131.

4) Sunt vel *unilateralia* vel *bilateralia*. Hæc utriusque partis obligationem natura sua intendunt, illa secus. In his vel ab utraque parte obligatio valida est, vel non est. Hic contractus est claudicans.

§. 132.

A pactis bilateralibus distinguenda sint *reciproca*, quæ natura sua sunt quidem unilateralia, ex conventione tamen speciali bilateralium naturam acceperunt.

§. 133.

Cum hac divisione non omnino convenit alia contractuum divisio in beneficos & onerosos, quorum in illis exercetur liberalitas, non in his.

§. 134.

In contractibus unilateralibus interdum is, cuius obligatio per naturam contractus non spectabatur, alteri ad damni & impensarum restitutionem obstringitur, sed hæc obligatio magis ex lege est, quam ex pacto.

§. 135.

5) Sunt vel *realia* vel *personalia*. Illorum effectus in heredes transit, horum non item. Omnia autem pacta creduntur esse realia, donec contrarii ratio pateat.

§. 136.

6) Contractuum in *reales* & *consensuales* divisio, quam jus civile habet, ignota est juri naturali. Illa enim sunt, quorum vis obligandi pendet a præsenti unius partis contrahentis implemento s. traditione, hi, qui sine hoc additamento jam tenent. Sed jus naturæ nescit aliud obligandi vinculum, quam consensum.

§. 137.

§. 137

7) Dantur pacta, quæ dicuntur *aleam continertia*, id est, talia, ubi per incertum eventum præstatio determinatur.

§. 138.

Ad jus ex pacto acquirendam habilis est, qui tantum rationis habet, ut, quid sit id, quod acceptat, distinet intelligat, licet nondum in administratione bonorum sibi relietus sit. Ut quis autem promittere possit, opus habet præterea libera, administrandi bona sua, facultate.

§. 139.

Si is, qui liberam rerum suarum administrationem nondum habet, contractum bilateralem cum alio init, qui sui juris jam est, inde oritur contractus claudicans.

§. 140.

Pacta ineuntur vel super rebus, vel factis, illæ debent existere, aut existere posse, hæc nec naturæ nec legibus repugnare. Res futuræ sive certæ sive incertæ sint, perinde est.

Wolf, J. N. Tom. 5. §. 1136. *postum dandum*. Grot. L. 2, c. 11. §. 9. putat, promissiōnem factam ob caussam naturaliter vitiosam, v.g. homicidium, hoc perpetrato, omnino obstringere promissorem.

§. 141.

Promissio indiscreta est, quæ nondum ita determinata, ut tertius certo judicare possit, ad quidnam tendat promissio. Hæc si pacto inest, idfirmitate adhuc destituitur.

§. 142.

Promissio indiscreta non est, si res arbitrio tertii certi, determinanda est relata, aut per remissionem ad aliud quid determinata.

§. 143.

§. 143.

Contractus potest & super re aliena inniri, ita saltim, ut negotium valeat inter contrahentes, quasi res aliena non esset.

§. 144.

Ore non minus, quam scriptis, conveniri potest effecitaciter.

§. 145.

Potest pactum iniri tam ab ipsis pacientibus, quam illorum nomine ab aliis. Posterior si contingat, distinguendum inter promissionem & acceptationem. Illa fieri per alium non potest valide, nisi mandatum ad ita promittendum habuerit promissor, aut is, cuius nomine promissio facta, eam ratam habeat. Haec & pro mandatore fieri potest, & absque mandato per modum negotiorum gestionis.

§. 146.

Si mandatum dedit stipulator, is ex acceptatione mandatarii sui statim ius firmum acquirit, etiam antequam hujus acceptationem resciscat, nec potest mandatarius jus acceptatione mandatori suo quæsum, hoc inscio & invito remittere. Si absque mandato facta acceptatio, acceptans statim jus certum inde consequitur, potestque tenere verbo promissorem, et si amicus, pro quo acceptatum, rei scientiam nondum habeat. At fas quoque est stipulatori, vinculum promissori relaxare, antequam absens amicus ad scientiam rei gestæ perducatur. Quamprimum vero huic acceptatio innotescit, isque eamdem approbat, non potest amplius stipulator hujus juri derogare.

Grot. L. 2. c. 11. §. 18. negat, obligationem promissori re-acceptantem, etiam sine mittere posse, quamvis ei, quem mandato, alterius nomine, tangit, adhuc incompertam.

§. 147.

Qui pro alio acceptavit, sibi præstationem promissi deposcere nequit. Qui pro alio promisit, se non obligavit, & ex promissione sua ipse non tenetur, si bona fide, alterum

alterum non celans, utrum mandatum habeat, necne, &, si habet, intra limites mandati egit, licet is, cuius personam gessit, postea spei aut officio non satisfaciat.

§. 148.

Si nuncius, ut promissionem nostram ad alterum deferret, in mandatis habuit, nec tamen is ipse, nec ab eo substitutus ad alterum accessit, aliunde tamen ex accidenti huic innotuit, quod nuncio erat commissum, isque acceptavit ita promissionem, non valet acceptatio.

§. 149.

Si per epistolam facta oblatio, illa tamen non recta via, sed intercepta, forte fortuna, per varios casus ad alterum, cui promissum erat, delata est, acceptatio ab hoc facta irrita non est.

§. 150.

Si in tertii arbitrium collata promissio, hic autem aut nolit, aut non possit arbitrari, corruit pactum. Nec obligat arbitrium, si dolus arbitrantis appareat.

§. 151.

Pacta possunt vel ita iniri, ut in contractu bilateraliter statim utrumque aliquid praestetur, vel saltim ab una parte, vel utrumque implementum in aliud tempus differatur, nec minus in unilaterali is, qui obligationem in eo suscipit vel statim implementum, addat, vel alio tempore, & falsum est, pactum semper debere ad futura esse directum, nec opus est, ut praeter præstationem factam aliquid verbis conventum sit, cum in ipsa præstatione sit conventionis tacita.

§. 152.

Quando de dolo & errore in pactis queritur, tales his tententis comprehendenda. Sunt casus, ubi error ultro pactum vitiat, licet dolus partis adversae illum non effecerit. Scilicet si in iis erretur, quæ ad pacti substantiam pertinent, ut aliud acceptetur, aliud promittatur, &

Westph. jus nat.

C

uter-

uterque de re diversa loquatur, sine alterutrius dolo jam inanis est conventio. Si vero in substantia conventionis conspirent pacientes, unus autem eorum solus erret, eumque errorem alter dolo suo non pepererit, ille culpae suæ damnum merito patitur, teneturque stare conventioni, quamvis ex errore suo incommodum habeat, idque siue alter errorem hunc non animadverterit, siue viderit omnino, sed, quæ vidit, dissimulaverit. Quando vero error solus validitati conventionis non obstat, obstat ei tamen tum, si alter paciens dolo suo auctor erroris factus est.

§. 153.

Est præterea tam in errore, quando is jam solus attenditur, quam in dolo, quando is accedit, videndum, an sit causam dans, an incidens. Ille est talis, qualis si non interfueret, plane non fuisset contractum, hic is, quo etiam non interveniente, contractum nihilominus fuisset, sed aliis conditionibus. Caussam dans totum negotium infringit, incidens, falvo negotio ipso, tantum jus tribuit, alias conditiones ab altero contrahente postulandi.

§. 154.

Dolus a tertio, ejus causa, pro quo contrahit, commissus, etiam hujus caussam laedit, ut is jus ex tali dolo nullum habeat, siue doli conscientius fuerit, siue ignorans.

§. 155.

Metus eodem modo contractum infirmat, siue alter contrahens ipse, siue, nomine ejus, alias metum injecerit, illo siue conscientio siue inscio.

Wolf. J. N. Tom. 4. §. 84.

Metus sine mea conscientia donatori incusus non facit vitium. J. G. §. 799. Quæ hosti tamquam hosti, imo etiam prædoni & latroni promittuntur; servanda sunt.

Grot. L. 2. c. 11. §. 7. cen-

set, metum jure naturali promissiones non infirmare, teneri tamen autorem ad liberandum promissorem. Metus a tertio, ignorantie eo, qui cum actum est, incusus, ut negotium rescindat, id esse meri juris civilis.

L. 3.

L. 3. c. 19. §. 2. etiam prædonibus & tyrannis fide[m] servandam contendit. §. 4.

præsertim speciem tractat, si quis ut amicum vinculis eximeret, promiserit pretium.

§. 156.

Omni pacto inest, quam dicunt, clausula rebus sic stantibus. Hujus regulæ is debet esse sensus, ut, si, post initam conventionem, mutatio contigerit, eum concernens, cui promissio facta, & talis quidem, qualis si sub initium fuisset prævisa, promissor ad hanc promissionem numquam descendisset, hic possit a promissione sua recedere. Huc inter alia est referenda perfidia alterius contra conventionem postea admissa. Regulæ veritas inde constat, quoniam; si dolo aut culpa sua is, cui promissum, talia suscipit, quæ possint alterum a conventione deterrere, is sibi ipsi imputare debeat damnum, quod inde patitur, alteri autem per culpam aut dolum alterius iniqua conditio inferri nequeat. Si vero casu & absque omni illius facto, cui promissum est, alia rerum facies orta, quæ, prævisa, certissime conventionem avertisset, ille potius eventus hujus fortuiti damnum fert, cui accidit, quam is, quem ille eventus plane non tangit.

C A P V T . XIV.

De præstatione evictionis & vitii in contractibus.

§. 157.

Evictione tum fieri dicitur, quando alter, in quem res per conventionem translata ab altero, non omnia ea jura in re conservare potest, quæ in se translata putare poterat, sed ob ea, quæ tertio circa rem competunt, jura, in translatione præsenti possessori a suo auctore non manifestata, possessoris jura contra opinionem imminuntur. *Evictione præstatur* si is, cui per evictionem damnum datum, ejus compensationem ab auctore suo accipit.

§. 158.

Ut evictionis præstatio exigi possit, ponendum est
1) eum, in quem rei translatio facta, de jure tertii, quod
in re habet, non esse ab auctore suo monitum. 2) id
jus tertii accipientem nec scivisse, nec scire debuisse. 3)
tertium jure suo uti, & hoc modo onerari possessorem.

§. 159.

Eviçio præstanta in contractibus onerosis, in be-
neficiis autem, intuitu fraudatæ spei, tum tantum, si expresse
aliud promissum, quam præstitum, aut promissio generis
antecessit, quam secuta præstatio speciei, quæ non plenis-
sime promissoris fuisse postea deprehenditur, intuitu al-
terius cuiusvis damni emergentis autem & hic semper
compensatio fieri debet.

Grot. L. 2. c. 12. §. 15. obli-
gationem ad præstandam
evictionem in emtione, ut
commodi & incommodi

translatum, ante traditionem
refert ad commenta juris
civilis.

§. 160.

Præmium rei, si dominium ejus forsitan possessori evi-
ctum, ab auctore præstandum, est, quando est auctum,
secundum tempus, quo ab auctore res translata, si minu-
tum, secundum tempus evictionis.

§. 161.

Res *vitiœsa* est, quæ iis qualitatibus destituta, quib-
us instruēta esse, ex lege, aut conventione, deberet, seu
quas adesse, per leges sperandi jus est. Est igitur vel
ideo vitiosa, quia desunt, quæ sine speciali conventione
jam exspectare jus est, vel ideo, quia desunt, quæ
speciatim dicta promissave sunt. Si desunt ea, quæ quis
inesset putabat, cum tamen nec conventione speciali essent
promissa, nec per leges fundatam eorum spem concipere
posset accipiens, non potest dici vitium rei inesse.

§. 162.

§. 162.

De vitiorum *præstatione* i. e. restitutioⁿe damni ex vitiis accipienti oriundi, idem dicendum, quod de *præstatione evictionis*.

§. 163.

Vitia, quæ præstanta, debent esse occulta, ita, ut accipiens ea nec sciverit, nec scire debuerit.

§. 164.

Si ob vitia nunc detecta res plane inutilis est accipienti, is jus habet a negotio, quo translatio facta, plane recedendi, si tantum deterior est, quam sperabatur, utilis tamen nihilominus; accipiens, salvo cæterum contratu, dampni resarcitionem tantum petit.

§. 165.

Si præter damnum, ex minore rei pretio, quam in ea sperabatur, ortum, etiam id, quod cæterum accipientis interest, ab auctore præstandum, requiritur, ut huic dolus aut culpa imputari possit.

C A P V T . XV.

De arrha, aestimatione, lafione, arbitramento.

§. 166.

Arrha est, quicquid, contractu principalí perfecto, ab uno contrahentium alteri, intuitu hujus perfectionis, datur.

§. 167.

Mens arrhæ vel ea tantum est, ut sit signum perfecti contractus, eumque magis firmet, vel ea, ut dans a contractu recedere possit, si dispendium arrhæ pati velit. Prius creditur, donec posterius probetur, quia naturale contractuum est, ut servanda sint.

§. 168.

Arrha, consummato negotio, vel danti restituenda, vel in partem pretii, ex contractu forsitan alteri solvendi,

imputanda, nisi animus donandi ex iis, quæ facta sunt, conjici possit.

§. 169.

Si implementum contractus non sequitur, ita, ut neutri partium ideo quidquam imputari possit, arrha est restituenda; si accipiens in culpa sit, arrham debet reddere; si dans, restitutio potest denegari, opposita exceptione contractus adhuc implendi, ut conventum erat.

§. 170.

In contractibus, quibus in alterum confertur res postea suo domino restituenda, solet adjici rei aestimatio, seu valor ejus, quem habet, in pecunia determinatur, idque vel eo fine, ut, si res melior vel deterior facta, vel plane deperdita fuerit, damni quantitas inde aestimari possit, vel ut accipiens arbitrium habeat, an rem, an expressum ejus valorem restituere velit. Prius, quod aestimatio facta *taxationis caussa* dicitur, auctum esse creditur, donec de posteriore, quod *venditionis caussa* aestimatio est, evidenter constet. Posterius libere de re disponendi facultatem & periculum in possessorem transfert, non prius.

§. 171.

Si in contractu bilateralis alteruter contrahentium in eo læsus est, quod inter id, quod dedit, & quod accepit, non est æqualitas, eaque læsio ex ignorantia læsi, verum rei pretium non intelligentis, orta, haud facile, ad inæqualitatem hanc tollendam, aut rescindendum contractum, cogere poterit alterum, qui in lucro versatur, quia & arbitraria sunt rerum pretia, & in culpa hæret is, qui, a justa cognitione non instructus, ad negotia accedit. Saltim minima inæqualitas attendenda non foret, quæ autem exigui, quæ magni momenti sit, res admodum arbitraria est.

Wolf. J. N. Tom. 4. §. 1052.

Si venditori pretium vero maius solvit emtor, quod ve-

rum putabat, ille huic pretium integrum accepsum restituere, ac rem venditam recipere

cipere, aut partem pretii, 1053. Mutatis mutandis
qua, quod datum, verum ex- idem valet de venditore
cedit, reddere tenetur. §. læso.

§. 172.

In contractibus bilateralibus sæpe, voluntate utriusque, in arbitrium tertii confertur determinatio eorum, quæ ipsi contrahentes determinare nolunt. Tunc is, qui electus est ad determinandum, dicitur *arbitrator*, & determinatio ab ipso facta, *arbitramentum*. Si hic arbitrari nolit aut nequeat, contractus corruit.

CAPVT XVI.

*De singulis speciebus contractuum, præsertim unilatera-
libus principalibus.*

§. 173.

Contractus unilaterales principales præcipui sunt 1) mutuum 2) commodatum 3) depositum 4) pignus 5) donatio 6) mandatum 7) expromissio; qui omnes sunt benefici, præter pignus.

§. 174.

A mutuo, commodato, pignore, potest quidem mente distingui pactum de mutuando, commodando, oppignorando, sed, vi obligandi, hæc pacta non sunt a mutuo reliquisque contractibus ipsis discreta.

§. 175.

Mutuum est contractus, quo usus rei, quæ per istum usum consumitur, alteri gratis conceditur.

§. 176.

In mutuo transfertur dominium, & sic alienatio ei ineft.

§. 177.

Mutuo acceptum, ita est restituendum, quasi ea ipsa species, quæ accepta, redderetur, sive eadem qualitas & quantitas restituenda est. Præsertim nummi sunt red-

reddendi in ea bonitate, in qua accepti, si pretium rerum cum mutata bonitate numorum æque mutatum est. Mutata pretia rerum, si eadem mansit monetarum bonitas, attendi nequeunt.

§. 178.

Commodatum est contractus, quo usus determinatus rei, quæ per usum istum non consumitur, alteri gratis conceditur,

§. 179.

In hoc contractu dominium & periculum non transfertur, & eadem species, non deterior redita, sub fine usus, est restituenda.

Wolf. J. N. Tom. 4. §. 447.

Si res commodata, quæ non sui, sed commodatarii causa, penes commodatarium est, interit, eodem casu penes commodatarium non interitura, damnum resarcire tenetur commodatarius. §. 459.
Si res commodata a tertio deterioratur, vel prorsus, destruitur, commodatarius damnum resarcire tenetur. §. 459.
Qui sua duntaxat causa commodat, damni culposi, non vero dolo dari reparationem remittit tacite.

§. 489. *Si tu rem tibi commodatam remittis per eum quem volueris, & dum ea refertur, perit vel deterioratur, periculum tuum est, non commodantis.* §. 498.
Si casus quidam emergit, quo res propriis usibus necessaria, antequam usus commodatario concessus finitus, aut tempus definitum elapsum, res commodata; nondum finito usu vel tempore, restituenda. cf. 532. ej. Aut. cf. Grot. L. 2. c. 12. §. 13.

§. 180.

Depositum est contractus, quo custodia rei in alterum, gratis eam suscipientem, confertur.

§. 181.

In hoc contractu nec dominium, nec usus alteri conceditur. Si depositæ rei usus depositario permittitur, depositum dicitur irregulare, quod, si principalis voluntas deponentis est custodia rei, manet depositum in reliquis,

Cap. XVI. De singulis speciebus contractuum &c. 41

quis, quæ natura usus non mutantur; si voluntas præcipua est usus, alteri indulgenda, fit mutuum, aut commodatum.

Wolf. J. N. Tom. 4. §. 585.

Si depositarius non promittit majorem diligentiam in re deposita custodienda, quam in suis adhibere solet, ultra eam jure externo non tenetur.

§. 591. *Si deponens rem custodiendam committit homini negligenti, quem negligentem*

esse novit, vel res deposita negligentia depositarii vel perire, vel deterioratur; damnum inter deponentem & depositarium dividendum in ratione culpe utriusque. Tom. 5. §. 794. *Compensatio non habet locum adversus depositum.*

§. 182.

Donatio est pactum, quo res gratis in alterum transfertur, aut transferenda promittitur.

§. 183.

Est vel inter vivos, vel mortis causa, illa jam vivo donatore jus irrevocabile dat donatario, haec post mortem demum donatoris.

§. 184.

Si rei corporalis donatio sit, dominium ejus in donatarium transfertur.

§. 185.

Donatio inter vivos nec ob ingratitudinem donatarii, nec ob supervenientes donatori liberos, revocari potest.

§. 186.

Mandatum est contractus, quo quis alterius negotia, ab hoc sibi commissa, gratis suscipit, ita tamen, ut impensas repetendi animum habeat. Committere est indicare alteri, quid in nostris negotiis eum facere velimus.

§. 187.

Consilium f. commendatio a mandato in eo differt, quod ibi alteri indicetur, quid in suis propriis rebus & negotiis ipsi utiliter faciendum sit.

§. 188.

Mandans omni tempore potest mandatum revocare, mandatarius autem eodem non potest se abdicare, quando semel suscepit.

§. 189.

Mandatario a mandante refundendæ sunt impensæ, in executionem mandati erogatæ, non, executori consilii a consulente impensæ, in consilii executionem necessariæ.

§. 190.

Mandatarius potest ad expediendum negotium, sibi commissum, alium substituere, si personæ singularem peritiam non requirit.

§. 191.

Idem non potest limites mandati excedere; limites tamen non excessit, si in iis, in quibus momentum non est, recessit a præscripta formula.

Wolf. J. N. Tom. 4. §. 702. *te, nec contradicente, fines Si mandatarius mandatum non excessisse censemur. excedit, mandatore præsen-*

§. 192.

Quod mandatarius ejusque substitutus, jure adsumtus, intra fines mandati facit, ejusdem efficaciam est, ac si ipse mandator fecisset.

§. 193.

Omnia possunt fieri per mandatarium, in quibus singularis ratio reddi nequit, cur fieri non possent.

§. 194.

Morte mandantis tollitur mandatum, nisi expressè in heredes sit directum, aut in casum mortis collatum. Potest tamen & hoc casu heres mandatum testatoris revocare.

§. 195.

Morte mandatarii mandatum non tollitur, nisi singularis mandatarii peritia in exequendo mandato electa sit.

§. 196.

§. 196.

Qui, ut mandatarius, alterius negotiis gerendis cum aliis accederet vult, debet, probatione mandati, personæ quam præ se fert, fidem facere.

§. 197.

Si mandans mandatum revocat, eaque revocatione mandatario tardius innotescit, ita ut post factam revocationem, antequam eam resciverit, nonnulla adhuc in negotiis commissis fecerit, distinguendum est inter negotii suscepti firmitatem intuitu tertii, & inter officia mandatoris ex re gesta adversus mandatarium. Hic omni modo servandus indemnus, ut, si v. g. emerit rem in hoc intervallo secundum mandatum, nec reddere eam venditori possit, mandans emtionem agnoscere, & impensam reddere debeat. Tertius vero, cum quo adhuc contractum post jam factam revocationem, quam ignoravit mandatarius, nullum jus ex conventione habet, quæ inanis omni modo est & errori innititur.

Wolf. J. N. Tom. 4. §. 183.

Si minister electus est, ut ipse donet, donatio ipso iuris scio revocari nequit, & ubi re-

vocatio facta ipsi non innotuerit, donatio ab eo facta, non obstante revocatione, valida est.

§. 198.

Idem de morte mandantis dicendum, quo mandatum est finitum.

Wolf. J. N. Tom. 4. §. 682.
ad mentem Grotii L. 2. c.
12. §. 13. *Mandans mandatario resarcire tenetur damnum, quod occasione mandati incurrit.* §. 729. *Si quis per epistolam tibi mandat, tu vero non respondes, mandatum contrahitur.* §. 759. *Si is, cum quo agitur, ignorat, mandantem mor-*

tuum esse, & cum mandatario contrahit, manifesto mandato confisus contractus validus est. Ratio: *Quia mortuus tamdiu habendus pro vivo, quandiu de morte ejus non constat.* Toin. f. §. 242. *Si plures institores ita præponuntur negotiationi, ut eam communis consilio administrant, ex facto unius tenentur*

uentur omnes, nisi unus dolose clam ceteris quid fecerit
 §. 244. Si duo fuerint institutores negotiationi communii consilio administrandae præpositi, nec negotium con-

troversum deferri possit ad præponentem; standum est eo; quod placuerit adfirmandi, negans tamen ex isto facto non tenetur.

§. 199.

Expromissio est pactum, quo quis alienum debitum ita suscipit, ut prior debitor plane liberetur. Si expromissor antea erat prioris debitoris debitor, cuius loco nunc ejus debitor fit, cui expromisit, dicitur *delegatio*.

§. 200.

Omni expromissioni inest novatio, de qua infra, & quamvis creditor postea ab expromissore jus suum consequi nequeat, isque solvendo non sit, non tamen patet creditor ad priorem debitorem reditus, nisi dolus subsit.

Wolf. J. N. Tom. 4. §. 869.
Jure externo expromissor a debitore principali repetere

nequit quod pro eo solvit, nisi ita convenit.

C A P V T XVII.

De contractibus bilateribus principalibus.

§. 201.

Contractus bilaterales principales sunt emtio venditio, locatio conductio, fœnus, societas, permutatio, omnesque reliqui contractus: do vel dabo ut des, facio vel faciam, ut des vel ut facias.

§. 202.

Emtio venditio est contractus, quo res determinata pro determinato pretio in pecunia numerata consistente in alterum transfertur, aut transferenda promittitur.

Wolf. J. N. §. 960. *Quando solutio in venditione consensu vnditoris in diem differtur,*

dominium statim transit in pecunia qua estimatur, quasi mutuo data intelligitur. §. 970.

970. *Si tibi promitto, me rem meam tibi venditurum, ad emisionem venditionem contrahendum obligatus sum.*

Idem valet, si tibi promitto, me rem tuam emiturum. §.

1128. *Si venditor mercem tradit emtori, non tamen de pretio fidem habet, nec lic*

pretium solvit, vel alio modo eidem de eo satisfacit; commodum & periculum est penes venditorem. Grot L. 2. c. 12. §. 15. docet, re bis vendita, eam venditionem valituram, quæ in se continuit præsentem domini translationem.

§. 203.

Locatio conductio est contractus, quo usus determinatus rei, quæ per usum istum non consumitur, aut determinata opera illiberalis, pro determinato pretio, in pecunia numerata consistente, promittitur, aut præstatur. Si rei, quæ per usum consumitur, usus pro usuris conceditur, oritur contractus fænoris,

§. 204.

Locatio conductio est vel rerum, vel operarum, & hujus species est locatio operis, ubi certum opus faciendum, quo finito, locatio quoque finita. Is qui mercedem solvit, semper dicitur conductor, interdum colonus, inquilinus, publicanus; is cui solvit, est locator, & in locatione operis, redemtor.

§. 205.

Conductori non indulgenda pensionis remissio, si in fructibus, per tempestatis injuriam, aut alio adverso casu, damnum fecerit.

Wolf. J. N. Tom. 4. §. 1295.

Si tanta sit sterilitas, ut deductis seminibus & impensis

pretium fructuum residuo-

rum deficiat a quantitate mercedi, hæc pro rata remittenda.

Meliora docet Gröt.

L. 2. c. 12. §. 18.

§. 206.

*Conductor non potest expelli ante finitum locatio-
nis tempus, si locator ipse ex improviso re indigeat, at-
tamen tum, si conductor re abutatur, aut mercedem justo
tem-*

tempore non solvat, aut refectio rei necessaria habitacionem continuandam conductoris impedit.

§. 207.

Locator, dum durat adhuc locatio, potest rem locatam alienare, sed successor, in quem ita res transit, non potest aliter, quam ipse locator, a locatione recedere, nec conductor nunc potest rem conductam deserere.

§. 208.

Jus sublocandi conductori indulgendum, si locatoris non singulari modo interest, ne sublocatio fiat.

§. 209.

Si, finita locatione, conductor a re conducta non recedit, aut operas praestare pergit, nec altera pars missitat, sit *relocatio tacita*, cujus conditiones neutquam ex finita conductione antecedente explicandae & aestimandae, nec tempus, quo continuari debet, definiri potest, sed omnia hic relinquenda justo arbitrio tali, quale interponeretur, si conductio nulla praecessisset.

§. 210.

Colonia partiaria, est pactum, quo, pro usu rei fru-
giferæ, certa pars fructuum percipiendorum, loco mer-
cedis, quotannis domino solvenda promittitur.

§. 211.

Permutatio est contractus, quo res pro re in alterum transfertur, aut transferenda promittitur.

Wolf. J. N. Tom. 4. §. 920.

In permutatione est animus
esse videretur permuntantibus ut
observeretur equalitas. §. 929.
Naturaliter permutatio re-
scindi nequit leso invito, imo
nec rescindi potest invito eo,

qui plus accepit. §. 932.

Si unus permutantiam rem
tradidit, *et*, qui accepit,
eam alienat, alienatio valida,
nec ei, qui tradidit, adver-
sus possessorem jus ullum
competit.

§. 212.

§. 212.

Societas hic est contractus, quo communio bonorum initur ita, ut communia sint collata, & ex iis commune lucrum.

§. 213.

Ut in societate damnum quoque, quod in re communis casu accidit, communicetur, naturale est. Collatæ vero possunt esse vel utrinque res aut operæ, vel hinc res, illinc operæ solæ.

§. 214.

Societas, ut ipsa communio, est vel universalis vel particularis, & hujus permultæ possunt esse figuræ.

Wolf. J. N. Tom. 4. §. 1384. *inelligitur, ad quod primum
Si societas tacite prorogatur, fuerat contracta.
ad idem tempus prorogata.*

§. 215.

Pactum protimiseos est pactum, quo præferentia alii cui præ alio constituitur, si res per contractum onerosum in alium transferenda, & is, cui præferentia data, easdem conditions implere velit.

Wolf. J. N. Tom. 4. §. 1102. *alii vendideris, emtio quidem
Si jus protimiseos pacto con- validam manet, mihi tamen re-
stitutum & tu me inscio rem neris ad id quod interest*

C A P V T XVIII.

De pactis minus principalibus.

§. 216.

Pacta minus principalia sunt varia. *Fidejussio* est contractus, quo quis debitum alienum accessorie suscipit. *Susceptio accessoria* est, quæ ita fit, ut prior debitor non liberetur, sed hunc quoque de toto debito adhuc compellandi jus habeat creditor, nisi malit aut coactus sit a fidejussore solutionem exigere.

§. 217.

§. 217.

An fidejussor beneficium ordinis habeat, an secus, pendet a conceptione verborum, quæ in fidejussione sunt adhibita. In casu dubio non indulgendum. Fidejussor autem, qui pro debitore solvit, ab hoc, quod solutum, repetit.

Wolf. J. N. §. 815. *Si plures fidejussores conjunctim promittunt, debitorē principali non solvente, singuli pro*

rata tenentur; quodsi tamen ceteri solvendo non sint, qui solvendo est, tenetur in solidum.

§. 218.

Cum omnè pactum, quo quis alienum debitum quo-cunque modo recipit, dicatur *intercessio*, s. constitutum debiti alieni; hujus species est fidejussio, & expromissio, & obligatio rerum suarum pro alio.

§. 219.

Pignus est contractus, quo jus pignoris sensu strictiori conceditur. Sed de hoc, & quicquid alias hic dici posset, infra inter jura dicetur.

Wolf. J. N. Tom. 5. §. 1228.
Si pretium rei oppignoratae non excedat debitum vel excessum debitori restituit creditor: naturaliter pactum commissorum contractui pignoris adjectum licitum est, in

casu opposito illicitum. §. 1231. *Pactum illicitum est, quo ita convenit, ut pignus lui nequeat, nisi maiore summa ultra eam, qua credita fuerat, restituta.*

§. 220.

Lex commissoria est pactum, quo alter contrahens in casum, ubi alter promissa justo tempore non impleverit, jus recedendi à contractu sibi reservat.

§. 221.

Ea lex iure naturali non est adjectu necessaria, cum & absque ea in omni contractu idem juris sit, quod haec conventio dare potest.

Wolf.

Wolf. J. N. Tom. 4. §. 1090.
Si emtio venditio lege commissoria resolvitur, nec em-

tor ad solvendum pretium posthac compelli potest, si venditor contractu stare velit.

§. 222.

Pactum de retrovendendo est, quo is, qui rem alteri vendidit, aut jus stipulatur, aut necessitatem sibi imponit, alio tempore eamdem ab eo, qui nunc emit, iterum emendi.

§. 223.

Secunda emtio, quæ ex hoc pacto fit, eo pretio æstimanda, quod nunc res habet, non ec, quod in priore emtione habuit.

Wolf. J. N. Tom. 4. §. 1120.
Si de pretio, quo res vendita retrovendi vel redimi debet,

nihil fuerit conventum, idem solvendum est pretium, quod fuerat solutum.

§. 224.

Conventio usuraria, qua usuræ pro usu pecuniae aliarumve rerum fungibilium promittuntur, variis contractibus accedere potest.

§. 225.

Addictio in diem est pactum, quo contraheñs in contractu bilaterali, si contigerit, ut meliores conditiones offerantur, jus recedendi a contractu, qui nunc initus, sibi reservat.

§. 226.

Hoc pactum si adjectum sit, recedere jam licet, modo quis inveniatur, qui serio meliora offert. An tutum sit illi credere, an non, arbitratur is solus, cui conditiones meliores offeruntur.

§. 227.

Is, cuius cauſsa adjectio facta, potest etiam repudiare meliores conditiones, & priori contractui insistere.

Westph. jus nat.

D

§. 228.

§. 228.

Pacto displicentiae contrahens sibi jus, discedendi a contractu ex arbitrio suo, reservat.

§. 229.

Pactum sociæ est, quo conductor pecorum, periculum eorum suscipit.

§. 230.

Cambium proprium est conventio, qua quis, ad solvendum debitum, se sub paratißima execuzione, inclusione corporis sui peragenda, obligat.

Wolf. J. N. Tom. 5. §. 87. cum non differt a contractu
Naturaliter cambium sic chirographario.

CAPVT XIX.

De pactis compositis.

§. 231.

Composita pacta sunt novatio, transactio, de quibus alibi, do ut des & facias, do & facio, ut des & facias.

§. 232.

Cambium alienum est pactum, quo quis, pro accepto pretio, restitutionem ejusdem quantitatis ab alio faciendo ita promittit, ut quivis eorum, qui hic se obstringit, paratißima execuzione per inclusionem corporis facienda, cogatur, qua occasione trassans, trassatus, remittens & præsentans interveniunt, inter quos interdum unus duplice personam sustinet.

§. 233.

Inter trassantem & trassatum est mandatum, inter præsentantem & trassatum, post acceptationem, intercessio & speciatim fidejussio, inter remittentem & trassantem contractus do ut facias, inter remittentem & præsentantem iterum mandatum.

CAPVT

C A P V T XX.

De contractibus aleam continentibus.

§. 234.

Contractus aleam continentes sunt lusus, sponsio, ad-securatio, contractus vitalitius, bodmeria.

§. 235.

Lusus est pactum, cuius mutuae præstationes a casu pendent, a contrahentibus producendo.

§. 236.

Omnis lusus jure naturali validus est, & obligandivim habet, si requisita cuiusvis pacti non desunt.

§. 237.

Sponsio est pactum, cuius mutuae præstationis ab eventu pendent, de cuius existentia disputatur.

§. 238.

In sponsione, quæ omnino valida, nec æqualitas præmii, nec æqualitas scientiæ requiritur, modo sponfor non dissimulet certam scientiam. Interpretatio autem sponzionis ex mente ejus facienda, cui inde solutio in jungitur.

§. 239.

Adsecuratio est pactum, quo quis periculum rerum alienarum pro certo pretio suscipit. Strictius, quo tale periculum occasione pericolosi itineris, præsertim navigationis, subeundum pro pretio suscipitur.

§. 240.

Bodmeria est contractus, quo quis ad necessitates navis ita credit, ut cum navi in certo intinere pereunte etiam creditum pereat, redeunte autem nave sortem cum certo præmio creditor repetat, & ex navis pretio solo solutionem exspectet.

Wolf. J. N. Tom. 5. §. 301.

Contractus de divinatione per sortem initus non valet. §. 360. Naturaliter non valet

contractus super ludo fortuito initus. §. 373. Sponsiones lege naturali prohibita.

§. 241.

Contra^ctus vitalitius est emtio reddituum vitalitorum, i. e. redditum ad vitam alicui præstandorum.

C A P V T XXL

De juribus ultimarum voluntatum.

§. 242.

Jus hereditarium est jus, vi cuius quis ad bona defuncti, ab hoc per mortem in se translata, est admittendūs.

§. 243.

Est 1) vel universale vel particulare, & illud cum representatione defuncti est conjunctum, hoc secus. Is, qui habet jus hereditarium universale, dicitur *heres*, qui particulare, *successor* ex ultima voluntate *particularis*, i. *legatarius* vel *fideicommissarius particularis*.

§. 244.

Est 2) vel *legitimum*, quod immediate ex testamento datur, vel *testamentarium*, quod ex ultima voluntate.

§. 245.

Heredis institutio est determinatio, quis heres esse debeat. Hæc est *directa*, si fit nullo interveniente alio, per quam demum ad alium devoluatur hereditas, vel *obliqua s. fideicommissaria* si alius intervenit, per quem hereditas ad alium transit.

§. 246.

Testamentum est ultima voluntas, qua heres directo instituitur, *codicillus*, qua heres non instituitur, saltim non directe.

§. 247.

§. 247.

Testamentum condere jure naturali non minus licet, quam pactum successorum inire, aut mortis causa donationem facere. In omnibus enim his super hereditate dispositionibus jus bonorum jam vivo domino, sive eo tempore, quo is transferre adhuc potest, in alterum transfertur, modo non semper praesens, purum & irrevocabile, sed vel futurum, vel conditionale & ad vitam donatoris revocabile. Inde cessat scrupulus, qui injicitur, quasi jus transferretur, quod transferens ipse non amplius haberet, eo tempore, quo transire ab eo in heredem debet.

§. 248.

Heredis institutio potest esse vel *prima*, vel *substitutio*, & haec est, ubi in casum deficientis alterius alias heres nominatur, illa, ubi antecedens heres, quem deficere conditio sit, nemus nominatus est.

Wolf. J. N. Tom. 7. §. 1062. quasi pupillaris vel exemplaris.
Est tam substitutio vulgaris, plaris, juris naturalis,
quam pupillaris &

§. 249.

Legitima scilicet pars certa hereditatis, quibusdam cognatis necessario relinquenda, juri naturali ignota, & simile huic unice id, quod liberis a parentibus tantum relinquuntur necessario, quantum ad horum educationem opus est, quando hi ipsis non habent, unde eduentur.

Wolf. J. N. Tom. 7. §. 981.

Si parentes moriuntur, bona sua liberis relinquere debent.

§. 982. *Si quis improles moritur, naturaliter bona sua relinquere debet parentibus suis primi gradus, aut, his deficienteibus, gradus ulteriores, nisi quatenus conjugis superstitis habenda ratio.* §. 983. *Jus hereditarium pa-*

rentum & liberorum mutuum est jus perfectum. §. 1018.

Si liberi vel parentes exheredantur, in testamento alleganda est exheredationis causa. §. 1075.

Si conjux superstites non habeat propria bona, vel ea non sufficiant ad vitae necessitatem, communitatem aut jucunditatem; qui moritur, post mortem

*suam eam pro modo faculta-
rum suarum bonorum partem
relinquere debet, quæ vel vi-*

*tæ necessitati soli, vel etiam
commoditati, imo etiam ju-
cunditati sufficient.*

§. 250.

Exheredatio est expressa declaratio, nos aliquem heredem esse nolle. Hæc jure naturali numquam necessaria est, cæterum omnes cognati ab hereditate excludi possunt per testatorem, si ab eo discesseris, quod de liberis jam dictum.

§. 251.

Nemo potest loco alterius, ad testandum incapacis, testamentum condere.

§. 252.

Quod de die, conditione, modo, causa, demonstratione &c. supra generatim dictum, valet etiam in ultimis voluntatibus, si his accedunt.

§. 253.

Legatum est, quicquid ita per ultimam voluntatem relictum, ut is, cui relictum, ideo defunctum non representet.

§. 254.

Qui est a testatore bonis honoratus, potest & legatis onerari, nemo autem potest plus onerari, quam est honoratus.

§. 255.

Legare & codicilos facere licet jure naturali, quemadmodum testamenta.

§. 256.

Licet pro parte testatum pro parte intestatum decedere, imo cum pluribus testamentis.

§. 257.

Si testamento posteriore prius non revocatum, valet utrumque. Idem dicendum de codicillo.

§. 258.

§. 258.

Ultima voluntas est ambulatoria usque ad mortem.

C A P V T XXII.

De Interpretatione legitimarum dispositionum.

§. 259.

Interpretatio est determinatio mentis verborum. *Mens* est voluntas, quam auctor verborum per verba exprimere voluit. *Sensus litteralis* est notio, ex coniunctione singularum vocum orationis prodiens. Ejus determinatio est *expositio*.

§. 260.

Quamvis in leges naturales interpretatio non cadat, paecta tamen & ultimae voluntates, de quibus tractat jus naturae, egent interpretatione. Hæc semper facienda ex ratione, quam verba habent. Ratio autem, s. id, quod movit & induxit auctorem verborum, ut verbis his uteatur, cognoscenda ex iis, quæ orationem antecesserunt, eamdem comitantur & sequuntur.

§. 261.

Expositio sola indigna ICto. Debet tamen interpretationem præcedere, & cum scientia critica, ad cognoscendam & emendandam corruptionem, esse coniuncta.

§. 262.

Interpretatio obtinet in verbis tam obscuris, quam claris & perspicuis.

§. 263.

Si mens a sensu litterali recedit, oritur interpretatio *logica*, si cum hoc convenit, *grammatica* s. *declarativa*. Illa vel *extensiva* est, vel *restrictiva*, ut vel mens latior vel angustior est sensu litterali.

D 4

§. 264.

C A P V T XXIII.

De iuris & obligationis notione ac divisione.

§. 264.

Obligatio s. officium est necessitas moralis agendi. **Necessitas moralis** autem est ea, quæ ex legibus, actiones hominum liberas concernentibus oritur, oppositæ **physicæ**, quæ ex viribus, aut machina, corporis vel animi derivatur.

§. 265.

Alio sensu **obligatio** est malum, violationi legis ab auctore appositum, quod movere debet, ad legem custodientiam.

§. 266.

Implementum obligationis ab ipsa obligatione differt. Inde potest quidem obligatio jam adesse, implementum autem in aliud adhuc tempus esse dilatum. Nisi tamen ratio dilationis sit, implementum exigi potest, quam primum jus adest.

§. 267.

Jus, praeter multos alios significatus, & eam habet, ut sit facultas moralis agendi. **Facultas vero moralis** eodem sensu venit, quo necessitas dicta est moralis, & opponitur eodem modo **facultati physicae**.

§. 268.

A jure ipso distinguitur ejus exercitium, quod ergo potest adhuc esse suspensum, licet jus ipsum jam praesens adsit. Nisi tamen quid impedit, semper, ubi jus praesens est, ibi & exercitium ejus haud suspenditur.

§. 269.

Potest adeo alter habere jus, alter ejus exercitium, ut obligatio esse potest unius, alteri autem incumbere implementum.

§. 270.

Jus & obligatio dicuntur **mediata**, si ex legitima dispositione oriuntur, **immediata**; si absque hac ex legibus ori-

Cap. XXIII. De juris & obligationis notione ac &c. 57

originem habent. Quæ, occasione legitime dispositionis, non vero ex ea, nascuntur, non sunt mediata.

§. 271.

Jura & officia sunt *connata*, si, non accedente speciali rerum statu, qui facto humano deum oriri debuit, adfunt, *contraria*, si tali rerum statui deum ortum debent.

§. 272.

Jura & officia connata eodem modo tolli & mutari possunt, quo, id fieri posse, de jure naturali in universum ostensum est.

§. 273.

Jura & officia inter homines, quæ sola a Ictis docentur, sunt *perfecta*, si cum coaetione & vi ea persequi licet, *imperfecta*, si non licet. Posteriora ad ethicam releganda.

§. 274. a.

Jus & officium, sine quo hominum societas salva esse nequit, quod itaque statui, stricta necessitas exigit, est perfectum; quod quidem societatem adjuvat, eique prod est, non est tamen hujus summae necessitatis, ut sine eo stare nequeat hominum communio, quin inopere jus consuleretur saluti communi, si coactioni in hoc genere locus daretur, quam si intra fines consilii, & dogmatis substitut, est imperfectum.

§. 274. b.

Justum & injustum est, id, quod juri & officio perfecto vel conforme vel disforme, *aequum* vel *iniquum*, quod juri & officio imperfecto.

§. 275.

Jura & officia dicuntur *affirmativa*, si quid in faciendum concernunt, *negativa* si quid omittendum. Priora vel ad dandum restitendumve, vel ad faciendum spectant, quod utrumque *præstationis* nomine comprehenditur.

§. 276.

Jus vocatur *reale*, quod cum re ita connexum, ut cum ea ad quemvis possessorem, qui caussam ab antecessore habet, transeat. *Personale*, quod cum re ad possessorem quemcunque hujus generis non transit. Est autem reale vel ita cum re connexum, ut a possessore rei exerceatur, vel ita, ut adversus possessorem exerceri possit. Posterior dicitur *jus in rem*. Jus personale eodem modo, vel ita est cum persona conjunctum, ut non a successore in rem semper exerceatur, vel, ut non adversus successorem. *Hoc* dicitur *jus ad rem*, & tam hoc, quam illud, quod scilicet a possessore exercetur, potest vel in heredes aliosque juri accedentes transire, vel secus. Posteriori casu jus dicitur *personalissimum*.

§. 277.

Obligatio, iuri in rem alterius respondens, non habet generale nomen, interdum tamen dicitur onus reale, si in re cæterum nostra alteri jus reale competit.

§. 278.

Quæ iuri ad rem alterius convenit obligatio, *propriae* obligationis nomen accipit, quæ inde vel personalis vel personalissima esse potest.

§. 279.

Per leges naturales omne jus, quod circa rem versatur, est etiam jus in rem, & nullum dici potest jus in personam esse, nisi quod circa rem plane non versatur. Nam juri semel quæsito ut ipse debitor detrahere nequit, ita nec substituendo successorem, qui caussam a se habeat. Jus antiquius semper vincit recentius. Fuit autem jus quæsิตum alteri jam ante, quam successor debitoris jus fuerit consecutus.

§. 280.

Omne jus personale & omnis obligatio ejus generis transit etiam in heredes & obligationi accedentes, donec ratio adsit cur personalissima esse debeant.

§. 281.

§. 281.

Jura, quæ a quovis rei possessore exerceri possunt originem semper habent ex lege non naturali.

§. 182.

Jura & officia sunt *perpetua*, si dies, quo desinant, iis non praefixus, *temporaria*, si talis dies praesinitus est.

§. 283.

Si plures eidem coniunctim, & ex uno eodemque negotio, tenentur, oriuntur *consortes*, & tum vel quilibet tenetur ex parte, vel in solidum, ita, ut creditoris sit electio, utrum prius convenire velit. Ibi est obligatio *pro rata*, hic *correorum*, ubi *correi debendi*. Si unus ex eodem negotio ad plura tenetur, his officiis vel simul satisfacendum, ut unius implementum ab altero implendo non libaret, ubi *copulative* dicuntur concurrere, vel ut liberet, ubi *alternative*.

§. 284.

Si unus correorum debendi creditori quoctunque modo satisfacit, reliquorum jus perimitur. Et quando unus correorum credendi solidum accepit, reliqui nihil praeterea petere possunt. Habet tamen solvens jus, a condebitoribus repetendi quod ultra partem suam solvit, & correae credendi, cui solidum solutum, reliquis tenetur ad communicationem lucri.

Wolf. J. N. Tom. 3. §. 697.
Statuit, correo, solidum
solventi, reliquos non teneri,
& Tom. 9. §. 819. credito-

rem jus suum hoc casu
contra reliquos cedere non
posse.

§. 285.

Sic & jus, pluribus intuitu unius debitoris vel datum pro rata, vel in solidum, ubi correi credendi, & uni convenit jus multiplex vel copulative vel alternative.

§. 286.

§. 286.

Jus & officium est *revocabile*, si pro arbitrio debitoris creditoribus auferri potest, *irrevocabile*, vel quæsum, radicatum, certum, si auferri nequit.

§. 287.

Utrumque porro est *continuum*, si quovis momento exercetur, alias *discontinuum*.

§. 288.

Jus & officium sunt *præsentia*, si a nulla re suspenduntur, *futura*, si suspenduntur vel jus & officium ipsum, vel ejus effectus. Unde potest vel in fundamento, vel intuitu effectus, vel utrumque, futurum aut *præsens* esse.

§. 289.

Jus & officium, cuius effectus & exercitium tantum suspensum, dicitur *quiescens, dormiens*. Si dormiens non est, nec ab altero alterius nomine exerceri debet, cum hic exercitio ipse impar non sit, dicitur jus *liberæ administrationis*. In casu opposito constituitur administrator iuris alieni.

§. 290.

Juris futuri species est *exspectativa*, quæ est tale jus, cuius effectus, in eventum futurum juris alterius intereundis, nobis ab aliquo concessus.

§. 291.

Conditio suspensiva facit jus futurum, quod intuitu fundamenti ipsius adhuc suspenditur. Nihilominus tamen hoc jus ea ratione est certum, ut exspectandum sit a debitore, an extitura sit conditio, nec ab eo quidquam ad intervertendam conditionem & spem fieri possit.

§. 292.

Jus & officium *simplex* est, si plura jura & officia non complectitur, alias est *compositum*. Si omnia, quæ in jure contenta uni tantum concessa sunt, dicitur hujus jus

Cap. XXIII. De juris & obligationis notione ac &c. 61

jus *plenum*, s. *solitarium*; si plures jus participant, singulorum est *minus plenum*, quod, si alias partes habet unus, alias & diversas alter, est *divisum*, si ejusdem generis jura utrimque exercentur, *indivisum*, seu *commune*, *communio*.

§. 293.

Jus omnibus hominibus commune nonnulli dicunt *communionem negativam*, id, quod aliquibus tantum commune est, *communionem positivam*.

§. 294.

Jus & officium, cuius exercitio modus est praescriptus, quem non licet transgredi, dicitur *limitatum*, alias *illimitatum*.

§. 295.

Jus, de quo statuere non potest possessor, ut ad successorem, quem eligit, transmittere, aut alienare, minuere illud nequeat, dicitur a nonnullis Juris naturalis doctribus, *usufructuarium*, id autem, de quo statui ita potest, *patrimoniale*,

§. 296.

Jus, quod, nisi consensu alterius adhibito, exerceri nequit, ideo non semper est cum hoc commune, sed potest alteri, qui consensum impetrat, plene esse tributum, & tantum hoc consensu impetrando limitatum.

§. 297.

Jus & officium *infinitum* est, si limites ejus tantum per regulam determinari possunt, cuius applicatio in concreto ex obviis rerum rationibus capienda, si autem regula opus non est, sed mensura juris jam aliunde est, dicitur *finitum*.

§. 298.

Id, quod vult officium, est *debitum*, eti opponitur *indebitum*. Id, ad quod jus est, dicitur *licitum*, alias *illicium*.

CAPVT

C A P V T XXIV.

Præcepta de juribus & officiis generalissima.

§. 299.

Ad ea, quæ phÿnix, aut per leges, fieri non possunt, non datur obligatio.

§. 300.

Res animi non subsunt obligationi forensi, licet quilibet possit se obstringere, ad vires animi huc vel illuc conferendas & applicandas.

§. 301.

Si alteri jus esse constat, tum, alteri officium huic respondens incumbere, probatum est, nisi agatur de jure necessitatis, & a probato unius officio, licet ad jus alteri tribuendum argumentari.

§. 302.

Qui jure suo utitur, nemini facit injuriam, eo sensu, ut male agat & puniri possit.

§. 303.

Regula: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, est ethicum præceptum, non fori.

§. 304.

Omne officium, quod homo Deo, sibi ipsi, & aliis perfecte imperfecte debet, dat jus perfectum ad ea, sine quibus huic officio satisfieri nequit.

§. 305.

Quilibet habet jus ea publice faciendi & profitandi, quæ, sine impietate erga Deum omittere, aut dissimulare non posse, persuasus est. Potest, ut credat, quæ de Deo ejusque cultu ipsi ab aliis traduntur, convictionem & probationem desiderare. Potest secundum aliis melioris cultus causâ conjungere, precibus hymnisque vacare, ab idolatria & superstitione animum avertere, in rebus conscienti-

scientiæ, i. e. in sacris internis, &, quæ cum his necessario
nexu cohærent, externis omnem coactionem externam re-
spuere, suumque in illis, non alienum, arbitrium sequi,
quo ne abdicare quidem se potest, et si velit. Nemo jus
habet, imperium in conscientiam alterius exercendi, ob
aliam in fide persuasionem eum lædandi, & officia aliis debita
ipſi denegandi, eum, qui nulla numinis religione tangitur,
ad hanc vi adigendi, aut ab impietate ad piëtatem externa
coactione traducendi.

§. 306.

Jns ad finem comprehendit quoque jus ad media,
quibus hunc finem adsequi oportet.

§. 307.

Quilibet potest ea facere, quæ sibi utilia, & omit-
tere, quæ sibi noxia, quantum sine læsione juris perfecti
aliorum fieri potest. In casu necessitatis tamen etiam cum
damno aliorum sibi consulere licet.

§. 308.

Quicquid, salvis officiis erga se, homo facere non po-
test, ejus erga se committendi jus nec aliis potest conce-
dere. Si tamen alter egit ex voluntate ejus, in quem
commisit, nec tertio simul illata læsio, nemini hominum
facinus vindicandi jus est.

§. 309.

Quod homo sibi debet, id alios quoque huic per-
fede debere, perperam statuitur.

§. 310.

Cuivis est jus perfectum ea faciendi, quæ pertinent
ad conservanda ea, quæ ipſi jam parta & quæsita ſunt.
Habet jus perfectum ad defendendum corpus, honorem,
famam, libertatem, bona, amicitias, honestatem, vir-
tutem animi contra aggressiones aliorum.

§. 311.

§. 311.

Quilibet potest eis, qui a virtute ipsum avocare volunt, aut in errorem, superstitionem, & similia eum inducere, aut ab augendis animæ aut corporis facultatibus impedire, quacunque ratione se opponere.

§. 312.

Nemo jus habet, in rebus aliorum faciendi, quæ iis profundit, ipsis invitis & contradictibus.

§. 313.

Cuilibet jus est, ea, quæ possidet, tueri, donec aliis demonstret, sibi in his melius jus esse.

§. 314.

Qui consilio, vel auxilio aliorum eget, illud petendi ab iis jus habet, hi tamen non nisi eo usque perfecte tenentur, ut aures præbeant precibus, nec per has se læsos putent. Ut vero adjuvent implorantem, perfecte non obligantur.

§. 315.

Nemo potest ea alteri auferre, aut minuere, quæ huic jam quæsita sunt, nec eum impedire, ne ad incrementa bonorum cuiusvis generis nitatur, quando sine læsione juris alteri jam quæsiti suum commodum promovet. Ut autem alteri tribuantur, quæ ad jus ejus quæsิตum nondum pertinent, aut damnia ipsi aliunde imminentia avertantur, perfecta obligatio deest. Inde judicandum de regula: Quod alteri prodest, & facienti non nocet, ad id faciendum hominem teneri.

§. 316.

In errorem alterum dolo inducere, qui ipsi noxius est, aut esse potest, officio perfecto repugnat. Qui corrumpit ejus animum, tum læsionis argui ab hoc non potest, si is corrumpti voluit, & ejus judicii jam fuit, ut resistere potuerit. Sin reluctanti prava consilia obtruduntur, aut ad vitia traductus est is, cui adhuc ad cognoscendam

Cap. XXIV. Praecepta de juribus & officiis &c. 65

scendam virtutem ingenii maturitas deerat, hic de laesione queri potest.

§. 317.

Si quis corruptorem, aut ad errandum inductorem, insidiis suis alium aggredi animadvertat, jus est iphi, tam illum, quam hunc, dehortari & meliora docere, si uterque, maturi judicij homo, huic honestae intercessioni non repugnat.

§. 318.

Si quis alterius bona, corpus, famam, & quicquid praeterea alter habet, invadit, jus est tertio, invaso homini adfistere, eumque & monere, & contra injuriam quamvis defendere.

§. 319.

Cuivis indulgenda est facultas tacendi, quando id sibi expedire animadvertisit, & loquendi, quando per sermonem nemo laeditur, aut officiorum caussa, quæ sibi vel aliis debet homo, loquela necessaria est.

§. 320.

Quilibet cavere debet, ne aliis dolo aut culpa' damnum inferat.

§. 321.

Præripere alteri lucra, ad quæ adquirenda jus perfectum ei non erat, si nec ea occasione aliud officium perfectum laedatur, juri perfecto non est contrarium.

§. 322.

Erga mortuos officia non docet ICtus, nec laesio ipsi illata, si viventium neminis interest, ad forum pertinet. Posteris autem debentur ea officia, ad quæ hi ob statum suum, de quo infra agendum, jus habent.

§. 323.

Si alter officia laedit, quæ nobis debet, ideo ab officiis ipsi præstandis soluti non sumus.

Westph. jus nat.

E

§. 324.

§. 324.

Justitia I^ctorum est implementum officiorum perfectorum. Hæc finis est Jurisscientiæ. In scholis philosophorum est virtus, qua cuilibet officio satisfit. Unde latior tum est notio, quam quæ in foro obtinet. Ideo illam Aristoteles universalem dixit, oppositam particuliari, & in hac *distributivam a commutativa* distinxit, quarum hæc magis inter æquales, illa potius inter superiorum & inferiores exercetur. Interseruit & *correctivam*, quæ in corrigendis conventionibus & criminibus exercetur.

§. 325.

Licet quilibet id sibi debeat, ut a virtute ne latum quidem unguem discedat, aliis tamen, si contra fit, non est jus perfectum, invitum in rationis & honestatis trahitatem revocandi. Poslunt nihilominus hominem, ita vitiis immersum & deditum, alii incantis ad vitandum notare, ejus familiaritatem declinare, & ea, quæ ex bona existimatione oriuntur, ipsi denegare.

§. 326.

Eximere alteri errorem, quem aliunde, non a nobis habet, officium imperfectum est.

§. 327.

Quilibet jus habet, alterius utilitatem promovendi, quantum is non contradicit & prohibet. Officium tamen, hoc impellens, tantum imperfectum est.

C A P V T XXV.

De libertate naturali, imperio, communione primæva & dominio hujusque speciebus generatim.

§. 328.

Libertas naturalis est jus, ex suo, non alieno, arbitrio agendi. Hæc jure connato cuivis homini competit; potest tamen quilibet juri huic renunciare, & alienæ voluntati se subjicere.

§. 329

§. 329.

Libertas naturalis intelligenda est salvis officiis quibuscunque, etiam absque subjectione sub alienum imperium observandis, unde ab agendi licentia differt.

§. 330.

Communio primæva est jus omnium hominum commune, de rebus corporeis pro suo arbitrio disponendi.

§. 331.

Communio primæva eousque tantum durat, donec quisquam res certas ita occupaverit, ut simul, perpetuo eas sibi retinendi, animum declaraverit, seu, quod idem est, in dominium suum redegerit, & licet natura obtineat, donec haec mutatio contigerit, non teretur tamen quisquam, res, quibus opus habet, huic communioni relinquere, sed potest quivis, quamprimum ejus facultas datur, in perpetuum res necessarias sibi vindicare, cum secundum id hominum ingenium, quo nunc plerique nascimur, nulla salus in hac communione sit.

§. 332.

Imperium est jus, dirigendi actiones aliorum ex suo arbitrio. *Dominium* jus proprium, de rei corporalis substantia ex suo arbitrio disponendi.

§. 333.

Dominium dicitur quoque *proprietas*, quæ si absque usufructu & jure possidendi est, *nuda audit*. *Ususfructus* est jus, omnem rei utilitatem, quæ salva substantia percipi potest, percipiendi.

§. 334.

Jus possidendi est jus, de possessione rei pro suo arbitrio disponendi. Utrumque jus, ad naturalia Dominii pertinet, non ad essentia. *lia*.

§. 335.

Qui loco alterius, apud quem vere dominium est, personam domini sustinet jure proprio, *prodominus* dicitur.

§. 336.

Dominium est plenum vel minus plenum eo sensu, quo omne jus hanc distinctionem capit. Eodem modo posterius est vel *communio* s. *condominium*, vel *dominium divisum*. Inter divisa est *dominium directum*, quod in sola parte proprietatis nudae consistit, & *utile*, quod in parte proprietatis, usufructu & jure possidendi.

§. 337.

Communio potest vel tantum intuitu dominii ipsius esse, ut tamen exercitium unus præcipuum habeat, vel simul exercitium comprehendere ab utraque parte, unde communio est vel perfecta vel imperfecta.

§. 338.

Nuda proprietas uni competens est dominium plenum.

§. 339.

Usumfructum, quando cum dominio conjunctus est, Icti vocant *caussalem*, opponuntque *formalitatem*, qui a dominio separatus in re aliena exercetur. Eadem ratione & jus possidendi caussale dici posset.

Wolf. J. N. Tom. 5. §. 1495.

Si usufructui certum tempus fuerit præstitutum, sed antequam id elapsum, mo-

riatur usufructarius, hoc non obstante ususfructus amittitur.

§. 340.

Licet proprie rerum tantum corporalium sit dominium, interdum tamen & jura in dominio esse dicuntur, quod tum *quasi dominium* vocant Icti.

§. 341.

§. 341.

Dominii in patrimoniale & usufructuarium divisio intelligi potest ex indole hujus distinctionis, juribus generaliter supra applicatae. Idem de dominio limitato & illimitato dicendum.

§. 342.

Potest dominium esse plenum & tamen usufructuarium, ut potest, etiam minus plenum & patrimoniale simul esse.

§. 343.

Communio universalis est, quæ omnia sociorum bona comprehendit, *particularis*, quæ nonnulla.

§. 344.

In condominio distinguenda debet dominium totius rei, quod singulis non nisi ex parte competit, & pars, quam quisque condominorum in re habet, separatim considerata, quæ pleno jure cuiusvis est.

§. 345.

Si in ipsa re communis aliquid suscipiendum, omnium sociorum voluntas conjuncta requiritur. Quodsi itaque unus vel alter dissentiat, melior est ratio prohibentis. Ubi tamen id, quod faciendum, omitti nequit, quia alias ius singulorum laederetur, aut lex fieri jubet, melior est ratio pro suscipiendo negotio sentientis.

§. 346.

De parte sua in condominio quivis sociorum statuere potest ex arbitrio.

§. 347.

In communione, universalis 1) omnia, quæ tempore initæ societatis habuit uterque socius, communia fiunt 2) omnia, quæ postea, sive labore & industria, sive fortunæ beneficio ab alterutro acquisita, communicantur, nec in bonis quæ ab initio fuerunt, aut postea acquisita sunt, spectatur æqualitas 3) omnes expensæ, quæ

frugales sunt, communi massa decedunt, licet inæquales sint. Debita, durante communione orta, si frugaliter contracta, de massa communi deducuntur, sin ad luxuriam, aut more dissoluto, ex parte bonorum debitoris sunt extinguenda.

§. 348.

Intuitu debitorum, quæ ante communionem jam fuerunt, distinguendum jus creditorum, a jure socii. Creditores semper ea jura retinent, quæ habuissent, nulla inita societate. Unde tam ex bonis, quæ, ante initam communionem debitoris fuerunt, quam ex iis, quæ postea supervenerunt, credita exigunt. Socius autem de communis massa tum demum ea deduci patitur, si illorum non ignarus, communionem iniit; sin eorum scientiam non habuit, socius debitor non potest de massa communicanda id æs alienum deducere, sed calculum ita ponere debet, quasi hæc debita non essent, tumque, ita divisa massa, in suam partem solam tenetur ista debita recipere. Est præterea alteri socio jus, si præter opinionem ejus, clandestina in socio æris alieni moles innotescat, ab inita societate recedendi.

§. 349.

In communione particulari id tantum commune fit, quod conventum est. Si nonnisi æquæstus communis fit, tum ea, quæ initio initæ societatis aderant, & plerumque etiam, quæ fortunæ beneficio postea obvenerunt, cuique propria manent, impensæ vero ex tantum communis sunt, quæ in acquæstum convertuntur. Cæterum proportio in divisione servatur nulla. Si certa bonorum initio collatorum pars communicatur, tum quicquid ex his collatis acquiritur, & in lucra inde percipienda impenditur, pro quantitate collatorum commune est.

§. 350.

Res, quæ dominum non habent, dicuntur *res communis*, aut *res nullius*.

§. 351.

§. 351.

Res, cuius dominium utile alteri alteri concessit sub conditione anni canonis, dicitur *emphyteysis*. *Canon* vero est id, quod alteri quotannis in recognitionem juris ipsi in re competentis a posseffore uniformiter solvit. Dominus directus hic dicitur *dominus emphyteuseos*, utilis *emphyteuta*.

§. 352.

Canon semper idem manet, five parum, five multum, five nihil fructuum percipiatur, nec est inter illum & fructus æqualitas statuenda. *Eius temporis autem*, ubi nullum dominium utile exercuit *emphyteuta*, nec *canonem* solvit.

§. 353.

Laudemium, i. e. pecunia, quam novus *emphyteuta* domino solvit pro accessu ad *emphyteuseos* possessionem, solet in his & similibus negotiis intervepire, quod tamen etiam abesse potest.

C A P V T XXVI.

De effectibus dominii specialibus.

§. 354.

Dominus potest pro libitu rem suam reddere meliorem, & deteriorem, potest eam destruere, & in aliam formam mutare, alienare, locare, possidere, administrare, in usus suos quoscunque convertere. Unde orane dominium, donec aliud constet, habendum est pro pleno, illimitato, patrimoniali, & cum omnibus natura- libus coniuncto.

§. 355.

Dominus fundi est & dominus materiæ fundi, & spatiæ aeris, quod supra fundum est, ut quantum usus soli impediretur factis, quæ in ære ab alio suscipiuntur, hæc impedire possit. Licet vero soli dominus habeat quoque dominium superficie, i. e. ejus, quod cum fundo

cohaerens super eodem eminet, & *subterraneorum* i. e. ejus, quod, a soli materia ordinaria diversum, intra terram latet, & reliquæ materiæ immixtum est, potest tamen & superficie, & *subterraneorum*, dominium a proprietate fundi esse separatum.

Theſaurum non ad fundum accedere, sed invenientis fieri, putat Grot. L. 2. c. 8. §. 8.

§. 356.

Corporum, in aëris spatio, quod nostro fundo incumbit, generatorum, nullum nobis dominium ideo tribui debet, & arboris dominium ex radice, non ex ramis, æstimandum. Eadem ratio quarumvis rerum mobilium & animantium, quæ in prædio nostro deprehenduntur, quippe ideo nullo jure ad nos pertinentium.

§. 357.

Dominus fundi potest materiam ejus ad quemcunque usum applicare, superficiem imponere, ad quamcunque altitudinem, unde vicinis nullum periculum est, ædes exstruere, mæniana tamen & fugrandia, aliaque projecta & protecta, alieno fundo superimpendentia facere non potest.

§. 358.

Emolumenta naturalia, quæ in fundo alterius ex accidenti deprehenduntur, possunt domino a vicino subtrahi novo opere, quod is in suo facit.

§. 359.

Licet vicino per ædificia, aut si qua alia ponuntur, liberiorem aërem, prospectum, lumen, solem versus nos acceptum, intercipere. Nec admittenda exceptio, quam Icti facere solent, quod ad æmulationem ædificatio, jure perfecto per vicinum prohiberi possit.

Wolf. J. N. Tom. 5. §. 1303. *fundo suo, ut omnis luminis uſus vicino p̄aeleydatur.*

§. 360.

§. 360.

Dominus fundi potest in suo aedes, muros, castra, aliaque exstruere, & omni ex regione fenestras ad lumen & prospectum habere, ex iisque in fundos vicinos prospicere.

§. 361.

Aedificii dominus habet reficiendi & refectionem negligendi arbitrium, si ex hoc vicino periculum non imminet, potest aedificium destruere, idque ad usus quoscunque vicino innoxios adhibere, & inhabitare.

§. 362.

Dominus aedificii creditur esse dominus soli, cui superstructum est aedificium, & nemo potest solo alieno aedificium imponere. Destructio aedificio, area nihilominus manet ejus, cujus fuerat, cum staret aedificium. Si aliis aedificium nostro fundo imposuit, ut suum; ob fundi proprietatem id aedificium nobis non accrescit, sed potest & debet autor illud iterum tollere.

§. 363.

Quilibet potest in suo alere animalia cujuscunque generis, quae vicinis non nocent. Dominium animalis dat jus stercoris, foeturam, ex ventre astimandam, jus maestandi, tondendi, deglubendi.

§. 364.

Dominus agri habet jus illum colendi & incultum relinquendi, fructus colligendi, pascendi.

§. 365.

Arbor in alienum propendens potest a vicino coerceri, & sublucari, quantum huic impedimentum in suo adfert, quando dominus arboris id sponte non facit. Si autem vicinus non coercet aut sublucat, non potest ramos & fructus ex iis sibi vindicare, causam interferens, quod in spatio aëris sibi superposito alantur.

§. 366.

Sylvæ dominus est soli, ubi arbores crescunt, ipsarumque arborum dominus, non tamen ideo venatio ad ipsum jure proprio spectat, licet possit aliis ingressum in suum fundum, qui venationis causa fit, interdicere.

§. 367.

Jus glandium & lignationis pertinet ad dominum sylvæ.

§. 368.

Non licet ingredi in fundum alienum, aut per illum transire invito domino, quamvis innoxium ingressum, aut transitum, alteri proficuum, permittere imperfeci officii sit.

§. 369.

Flumen, intra solum meum deprehensum, creditur esse meum, licet & possit esse alterius.

§. 370.

Dominus fluminis solet & alvei habere dominium, & inverse, licet ad alium quoque pertinere possit flumen, ad alium alveus.

Wolf. J. N. Tom. 2. §. 369. *vione, ea nullius est, licet Si insula in flumine sit collu-* *alveus alicuius sit.*

§. 371.

De pisce hic idem dicendum, quod de fera in sylvis.

§. 372.

Usum fluminis innoxium aliis permittere, imperfatum saltim officium est.

§. 373.

Prædium inferius naturaliter ita servit superiori, ut hujus dominus nihil facere teneatur, quod necessarium est ad avertenda incommoda, quæ inferiori ex naturali utriusque situ imminent. Potest tamen inferior opus faciendo in suo contra hæc incommoda se præmunire, licet hoc oneret agrum superiorem.

§. 374.

§. 374.

Id, quod nostrum est, si in fundo alieno deprehenditur, jure perfecto inde auferre, & ideo ingressum in fundum poscere, licet, nisi alter ipse rem extra fundum nobis efferre malit.

§. 375.

Suffodere solum alienum non licet, quum inde fundi dominus detrimentum in usu fundi patitur.

C A P V T XXVII.

De juribus in re aliena.

§. 376.

Dantur & jura singularia, in re aliena alteri concessa, quæ variis nominibus veniunt, & ab altero vel ita exercentur, ut cum ejus prædio jus in perpetuum coniunctum sit, vel ut illi tantum, competit, dum vivit, aut saltim non vi juris, a prædio in ipsum derivati.

§. 377.

Res nostræ, in quibus aliis ejusmodi jura non sunt concessa, utuntur libertate rerum naturali. Hæc libertas naturalis rebus inesse creditur, donec probetur contrarium.

§. 378.

Servitus rerum est jus in re aliena, vi cuius alter aliquid pati aut non facere tenetur.

§. 379.

Est vel adfirmativa vel negativa; illa in patiendo, hæc in non faciendo consistit.

§. 380.

Est porro vel *prædiorum* vel *personarum*; illa ab omni possessore prædii exercetur, hæc ab uno tantum, dum vivit, aut saltim non vi possessionis prædii.

§. 381.

§. 381.

Infinitus est servitutum utriusque generis numerus.

§. 382.

Servitute constituta, dominus omnia omittere tenetur, quibus servitus impeditur, & concedere, quæ ad exercendam servitutem necessaria sunt.

§. 383.

Quilibet rei possessor, sive sit dominus, sive alias, potest rem servitute onerare, sed is, qui jus limitatum & temporarium tantum habet, non nisi quantum se ipsum onerat, sibique nocet, & jus ipsius durat.

§. 384.

Si res serviens refectione opus habet, nec serviens, nec dominans ad reficiendum obstrictus est, uterque tamen reficiendi jus habet. Facta tum refectione, impensa secundum æquitatem distribuenda inter dominantem & servientem.

Wolf. J. N. Tom. 5. §. 1282.

edificii sustinentem, reficere obligatur.

Qui servitutem debet, pariter tem vel columnam, anus

§. 385.

Si opus necessarium est, ad exercendam servitutem, hoc opus & parat dominans, &, si refectione indiget, ipse solus reficit.

§. 386.

Si, servitute jam constituta, alteri ad eamdem vel aliam servitutem utilitas prædii sufficiens remanaet, potest dominus huic aliam vel eamdem servitutem, juxta priorem, concedere, aut ipse éodem jure ex dominio uti, quod, nova servitute, alii indulgere posset.

§. 387.

Quando, per libertatem rei naturalem, non potest jus aliquod intuitu alterius prædii exerceri, & quando jus

ius aliquod restringendum, quod per libertatem rei naturalem exerceri posset; opus est servitute.

§. 388.

In *re communi* potest socio esse servitus, non autem, in *re propria*, domino. Servitutes individuae non sunt, nisi in quibus sine absurditate partes statui nequeunt, nec, causa servitutum ut perpetua sit, necesse est.

Wolf. J. N. Tom. §. §. 1389.
Nemo servitutem prædio, acquirere potest, nisi dominus, §. 1341. Qui dominium revocabile habet, prædio servitutem acquirere po-

test. §. 1414. Si fundus servitus fundo communi fit communis, vel contra si fundus communis serviat, & postea dominans fit communis, servitus extinguitur.

§. 389.

Jus pignoris est jus, creditori in *re alterius* constitutum, quo potest, debito non soluto, ex ea solutionem sibi querere. Est vel *jus pignoris strictiori* sensu, vel *jus hypothecæ*, quorum illud in *re creditori* tradita, hæc in *re apud debitorem* manente constituitur.

§. 390.

Omnis creditor pignoratius habet jus distrahendi rem oppignoratam in casum, quo solutio debiti, ut conventum, non sit; jus pignoris proprium dat præterea jus possidendi.

§. 391.

Si, facta pignoris alienatione, pars pretii postextinctum debitum residua est, quæ hyperocha dicitur, ea domino restituenda.

§. 392.

Creditor non potest uti re oppignorata, nisi hoc ei a domino permisum. Hoc facto, oritur interdum pactum antichreticum, quo utilitas rei creditor i universum loco usurarum relinquatur.

§. 393.

Qui non potest alienare, nec potest oppignorare.

§. 394.

§. 394.

Omnis res cuiuscunque generis, quæ securitatem creditoris adferunt, pignori subjici possunt.

§. 395.

Potest pignus constitui etiam pro debito alieno.

§. 396.

Debitor habet jus *reliuendi*, i. e. rem oppignoratam soluto debito a vinculo pignoris liberandi, quamdiu nonandum ex conventione distracta est. Si huic juri reliuendi jam antea renunciat debitor in casum, quo solutioni non exacte steterit, oritur *lex pignoris commissoria*, quæ omnino licita & valida est.

Wolf. J. N. Tom. 5. §. 1242.

Si creditor in alienationem pignoris vel hypothecæ expresse consentit, jus suum remittit & pignus vel hypotheca solvitur. §. 1248. Si creditori consensu ipsius jus pignoris vel hypothecæ constituatur in rebus aliis,

quam in quibus ab initio erat constitutum, vel dentur fidejussiones: pignus ab initio constitutum vel hypotheca solvitur. §. 1252. Creditor in secundam rei pignorationem tertio factam consentiens eidem jus prioritatis cedit,

§. 397.

Jus hypothecæ constitui, jure naturali non necessarium, quum jam absque hoc jure expresse constituto eadem creditori facultas sit, ex rebus debitoris sibi solutionem quærendi, sive illæ adhuc apud debitorem sint, sive post ortum debitum ad alium possessorem transierint. Jus pignoris strictiori sensu autem non est absque speciali conventione.

§. 398.

Extincto quacunque ratione debito, jus pignoris evanescit.

§. 399.

Jus censiticum est jus in re aliena, quo possessor tenetur quotannis censum solvere. *Census* autem est solutionis

tio uniformis perpetua, ex nexu privato quotannis alteri ex re facienda. *Prædium*, unde census datur, *censiticum*, is, cui solvit, *dominus census*, qui solvit, *censita* dicitur.

§. 400.

Dominium prædii censitici potest inter dominum census & censitam esse divisum, potest tamen & sic dominus esse plenus. Ipse census potest in pecunia aut alia re quacunque mobili confistere.

Wolf. J. N. Tom. 6. §. 111. *Censualis est pleno jure dominus.*

§. 401.

Jus bannarium est jus in re alterius, quo possessor in utilitatem nostram aliquid facere tenetur.

§. 402.

Jus retractus est, quo quis, in casu factæ alienationis, si possessori, in quem res translata, datum premium reddere vult, ab hoc rem restituendam desiderare potest. Ab hoc jure differt *jus protimiseos*, quod est præferentia uni competens præ aliis, in quos contractu oneroso res transferenda, si easdem conditiones implere velit.

§. 403.

Jus superficiei est jus, habendi superficiem perpetuam in solo alieno, quod jure naturali ad servitutes rerum merito refertur. Superficies hic est in dominio ejus, cui jus superficiei concessum, fundus autem, in quo exercetur, est in dominio servientis. Pro usu soli solet solvi *solarium*.

C A P V T XXVIII.

De jure occupandi.

§. 404.

Occupatio est apprehensio rei, animo jus proprium in ea acquirendi, facta. Hac acquiruntur res nullius, non autem

autem res aliorum, sine alia accedente caussa. *Jus occupandi* est jus, per occupationem rem nullius suam faciendi.

§. 405.

Jus occupandi res nullius commune, est ipsa communio primæva. *Proprium* autem, quod aliquibus cum aliorum exclusione inhæret, est juribus specialibus contrahendis accenlendum.

§. 406.

Cui jus est occupandi proprium, is ideo dominus non est, rerum intra limites juris ejus deprehensarum, sed fit demum vere dominus per occupationem. Inde omne jus in rebus huic juri subiectis amissum est, quam primum hæc e limitibus egrediuntur.

§. 407.

Potest jus occupandi proprium vel ad cuiuscunq; generis res, quæ dominio nondum subsunt, in certa regione esse extensum, vel ad res certi generis restrictum. Nomen a rebus, quæ occupantur varium, ut venatio, piscatio, aucupium &c.

§. 408.

Inter plures hoc jus potest esse dispersum, vel per modum communionis, vel ita, ut unius occupationi hæc, alterius aliæ, res subiectæ sunt.

§. 409.

Qui in certa regione jus occupandi proprium habet, potest etiam alienos fundos intra regionem sitos ingredi, irrequisitis dominis, occupandi caussa, nec hi possunt in suo quidquam facere, quo juri occupandi ejus noceatur.

§. 410.

Non licet feram, fugientem extra regionem suam, in alienam perseguiri, quamvis occupatio jam copta, nondum tamen consummata sit.

§. 411.

§. 411.

Qui in nostra regione feras dolo malo sine jure occupat, nos laedit, & occupata nobis tradere, omneque damnum resarcire tenetur, nihilque impensarum a se in occupationem factarum recipit.

§. 412.

Communio juris occupandi est vel talis, ut quisque sociorum sine altero pro arbitrio in suam utilitatem occupare possit, quod ipsi se offert, vel ut cujusque occupationis utilitas inter utrumque communicetur.

§. 413.

Quo res per occupationem nobis acquisita esse dici possit, requiritur, ut animo eam acquirendi ad occupationem ventum sit, & externe sint facta, quae ad rem in nostram possessionem redigendam necessaria sunt.

C A P V T XXIX.

De juribus specialibus immediate ex lege dependentibus.

§. 414.

Sunt, praeter haec jam adducta jura, permulta adhuc alia, quae partim ex aequitate, partim ex pactis oriuntur. Ut haec jam supra in doctrina pactorum explicata sunt, ita de illis tantum adhuc aliquid addendum.

§. 415.

Est perpetua juris regula: neminem debere cum aliorum damno reddi locupletiorem. Unde est, quod, si quid ex nostris facultatibus fluxerit & immixtum fuerit bonis alienis, aut nobis invitis, aut ita saltim, ut animus nobis non sit, in perpetuum re nostra carendi, alter id, quod a nobis habet, restituere teneatur.

§. 416.

Hinc derivatur 1) id, quod de in rem verso docent ICti. Si scil. cum alio nominatim in utilitatem tertii con-
Weſtph. jus nat. F traxe-

traxerim, hujusque tertii utilitas hoc contractu mea impensa fuerit promota, idque meo cum animo, impensam quandoque repetendi, factum sit; tum actionem de in rem verso mihi adversus hunc tertium Icti concedunt, expensa repetendi caussa.

§. 417.

2) Id, quod habent Icti de communi periculo ab uno, ad salvandam omnium rem, jacturam faciente, averso, ubi ei, qui damnum ultro-passus est, actionem ad damnum pro ratione utilitatis acceptae reparandum indulgent.

Wolf. J. N. Tom. 6. §. 639.

Pondus vectorum (in navi) aliquid estimabile est, & valor equipoller pretio mercium, quæ in illorum locum substitui potuissent, habita ratione saltim ponderis. §.

642. *Vestes*, quas vectores corpori suo applicuerunt, & alia, quæ ordinario cultui & amictui corporis serviunt, propter jactum ratione pretii in contributionem minime veniunt. §. 644. *Locarium*, quod solvitur ministris navium, & modicum illud, in quo sibi rem gerere, ipsis conceditur, in contributionem non venit. §. 645. Ci-

baria, quæ quis in itinere consumendi caussa navi imposuit, in contributionem ob jactum minime veniunt. §.

664. Si magister navium plus aequo oneravit, ac propterea jactum fieri necesse fuit; ipse damnum solus resarcire tenetur, nec ulla a reliquis, qui merces in avi habent, fieri debet contributio. §. 677. Seviente incendio edificium vicini destruere licet, ut serventur propriæ cædes, damnum vero communi contributione eorum sarcendum, ad quorum cædes probabiliter ignis pervenire potuerat.

§. 418.

3) Id, quod de quasi contractibus statuunt, ut negotiorum gestione, indebiti solutione, communione, tutela.

§. 419.

Negotiorum gestio est suscepit negotiorum alienorum, sibi non commissorum, gratuita quidem, cum animo tamen impensas repetendi conjuncta. Huic tribuunt effe-

Cap. XXIX. De juribus specialibus immediate &c. 83

effectum, ut administrator negotiorum possit impensam in alienam utilitatem factam reposcere, & is, cuius negotia gesta sunt, possit rationum redditionem, cum restituzione ejus, quod ad se pertinet, & damni dati refarcitione, exigendi. Utrumque effectum nemo non ex aequitate derivabit.

Wolf. J. N. Tom. 5. §. 529.
Negotiorum gestor pecuniam
domini fænori exponere de-
bet. §. 536. Si dominus no-

vit, alterum negotium suum
gerere, nec contradicit, man-
datum contrahit tacite.

§. 420.

Eadem ratio tutelæ, ubi si verus contractus inter tutorem & pupillum non statuatur, saltim ille negotiorum gestoris instar est, & hinc eadem jura consequitur, & eadem officia subit, quæ sunt in negotiorum gestione.

§. 421.

Administratio rerum communium, quæ hic *commu-
nio* dicitur, si suscipitur altero socio absente aut ignaro,
est negotiorum gestio intuitu partis, quam alter socius
in re communi habet.

§. 422.

Si quis ex errore solvit, quæ debere putabat, cum tamen non deberet, quod *indebiti solutio* dicitur, errorem non facere jus manifestum est, unde officium alterius nascitur ad reddendum, quod accepit.

Wolf. J. N. Tom. 5. §. 578.
*Indebitum solvens dominium
rei transfert in accipientem.*
§. 580. Si accipiens rem in-

debita acceptam alienavit,
qui solvit indebita, eamdem
vindicare nequit.

§. 423.

Eadem 4) ratio juris recessendi a contractu, de quo supra, conditionum sine causa, ob turpem caussam; multarum conditionum ex lege, restitutionum in integrum.

§. 424.

Conditione enim sine causa repetitur, quod alter accepit, cum vel ab initio ratio, lucrum inde ortum retinendi, deesset, vel postea saltim defecerit.

§. 425.

Ob turpem causam agitur, si alter accepit, ne committeret illicita, quae tentabat, & a quibus accepta mercere revocari se passus est. Quo casu certissime potest datum repeti, idemque jus obtinet, si ad illicita committenda alter conductus est. Hoc enim casu sive illicitum facinus alter commiserit, sive fecus, ad reddendam mercem a dante adigi potest.

§. 426.

Conditionum ex lege oriuntur quædam ex pactis, et autem, quæ pactis originem non debent, ex æquitate sola derivandæ, & naturæ conformes sunt, quando iactis superius fundamentis conveniunt.

§. 427.

Restitutiones in integrum omnes ponunt alterum esse læsum, a culpa tamen se posse excusare, alterum vero locupletiorem esse cum illius damno redditum, aut dolo illam damno adfecisse. His ita comparatis, recedi potest a vinculo, quod omnino tenuisset, si excusatio nulla læso patrocinaretur.

§. 428.

De juribus, quæ ex pactis oriuntur, supra actum, de iis, quæ e delictis sequuntur, infra dicendi locus erit.

CAPUT XXX.

De jure necessitatis.

§. 429.

Jus necessitatis est jus lædendi officium perfectum, quia pugnat cum alio officio ita, ut utriusque simul satisfieri nequeat.

§. 430.

§. 430.

Ad hujus juris innocentiam requiritur, 1) veram adesse officiorum pugnam, 2) in hanc pugnam conjectum esse eum, quem necessitas nunc premit, non sua culpa, sed easu & mera fortuna.

§. 431.

Si casus necessitatis vere adest, omnia ea fiunt licita, quae necessaria sunt, ut pareatur ei officio, quod præ altero prævalet.

§. 432.

Quilibet, ubi officia erga alios pugnant cum iis, quæ Deo debet, ita ut erga Deum impius esse deberet, si hominibus obsequendum, jus habet officia numini debitæ cuivis alii officio præferendi.

§. 433.

Officia, quæ homo sibi debet in conservando suo, si pugnant cum iis, quæ alii exigere possunt, is anteponendi jus habet cuivis officio erga alios, sive vitæ, sive famæ, sive bonis ejus discrimen immineat, item sive ad læsionem vitæ, bonorum integratatisve cuiusvis alterius perfugiendum ipsi sit, item, sive is, cuius læsio necessaria culpa sua hanc officiorum pugnam effecerit, sive innocens sit, item sive sit æqualitas inter damnum, quod alteri adfertur, & quod a nostra parte vetatur, sive fecus, modo ejus læsio, quæ sit, salvis officiis ergo nos declinari non potuerit, item modo juri nostro per conventionem contrariam non renunciaverimus.

Wolf. J. N. Tom. 6. §. 587.

In summa cibi penuria, nec invitum, nec sorte ductum occidere licet, ne omnibus sit pereundum. §. 588. *Si in naufragio plures in scapham insisterint, quam illa servare possit, neque ad unum peculiari jure scapha pertineat,*

qui priores insisterunt, posteriores projicere possunt, non vero idem licet posterioribus in priores. Quodsi vero omnes simul insisterint, qui potest, et alterum projectare licet. §. 590. Si eo, ad quem scapha singulari jure spectat, non rogato, plures

in eam influiunt, quam ferre potest: ille præcipere potest, ut projiciatur is, quem voluerit, si scapha omnes ferre nequit, aut ut sorte ductus

projiciatur: & siquidem contingat, rot scapham jam descendisse, quot ea ferre potest, his impedire non licet, quo minus ille in eam infliat.

§. 334.

Si læsio juris perfecti imminet alii ab alio, tertius potest officium imperfectum, quod illi debet, ad auxilium ipsi ferendum, præferre officio, quod debet aggressori, & hunc quibusvis illatis malis impedire, ne alterum operimat eive noceat.

§. 435.

Si uterque de lucro adhuc quærendo certat, cuilibet jus est, sibi venari lucrum, & alterum in eo quærendo prævenire. Sed rebus, quarum alter jam potitus est, illum privare, ut lucrum novum nobis quæramus, non licet.

§. 436.

Si plures exigunt a nobis officia humanitatis, quibus simul satisfacere non possumus, arbitrii nostri est, præferre quemcunque velimus ex omnibus.

§. 437.

Si plures simul obstant conservationi ejus, quod nostrum est, ut lædenda sint erga hos officia, nostræ incolumentis cauſa, arbitrii nostri est, quem ex aliis offendendum eligamus, nisi alterutri plura officia perfecta debeamus, quam alteri.

§. 438.

Si pluribus officia perfecta debentur, quæ diversis temporibus cum singulis contracta, eaeque simul impleri non possunt, licet eum, cum quo prius contractum, reliquis præferre, non vero hos illi.

§. 439.

Quando ob jus necessitatis alius se accingit ad nos eo, quod nostrum est, privandum, nullum nos officium, ad hoc

hoe patiendum cogit sed licet invaso, se contra aggressio-
nem defendere, & vi suum conservare.

§. 440.

Si in casu necessitatibus eo perducti fuimus, ut alteri
inferremus damnum, isque innocens est, & pugnam hanc
officiorum non effecit, nostrum est, quamprimum hoc
damnum resarcendi facultas est, alterum a dispendio li-
berare.

cf. H. Grot. I. B. & P. L. 2. c. 2. §. 9.

§. 441.

Hinc judicandum de regula, quod necessitas sit ex-
lex.

C A P V T . XXX.

De possessione.

§. 442.

Facultas physica, sc. per vires corporis nobis integra, de-
re disponendi, dicitur *detentio*.

§. 443.

Detentio adest tum, si corpore rei insistimus ita, ut
nemo impedit, quidvis in ea facere, aut absens quidem
res est, nihil tamen obstat, quo minus eam adeamus, &
quodlibet in ea suscipiamus.

§. 444.

Ut quis in detentione rei esse dici possit, opus est
notione rei, quae in detinentis animo sit, & voluntate
circa eam aliquid suscipiendi.

§. 445.

Detentio rei, cum animo jus quoddam in ea, cum
aliorum exclusione, exercendi coniuncta, dicitur possessio,
quae vel cum corporis præsentia coniuncta est, vel e lon-
ginquo exercetur.

§. 446.

Possessio est vel naturalis vel civilis. Hæc conjuncta cum animo domini, illa cum alio.

§. 447.

Possessio civilis rei alienæ est, vel cum opinione possessoris conjuncta, quasi dominus sit, vel cum scientia dominii ad alium pertinentis. Illa est *bonæ fidei*, hæc *malæ fidei*.

§. 448.

Possessio porro est vel *titulata* vel *non titulata*. Illa est, quæ orta ex negotio, quod jus dare potest.

§. 449.

Possessio *immemorialis* est, cujus originem nec testes nunc viventes viderunt, nec documenta ita ostendunt, ut de ratione initii funditus constet.

§. 450.

Possessio est vel *vera*, vel *quasi* possessio, illa rerum corporalium, hæc incorporalium. Hæc in juribus affirmativis consistit exercitio & patientia, in negativis, ubi possidenſ aliquid omittit, exactione præstationis ex parte una, & omissione ac resistentia secuta ex altera, aut per titulum indulto jure ad omissionem, & hac omissione vi indulitus exercita; in iis vero, ubi alter aliquid omittere tenetur, vel jure prohibendi per titulum acquisito, tumque omissionibus alterius vi nostri juris prohibendi secutis, vel tentatis ab altero contra nostram voluntatem moliminibus, a nobis vero facta intercessione, tumque secuta alterius desistentia.

§. 451.

Ad possessionem necesse est, ut nec vi, nec clam, nec precario id fiat, quod possessorem ostendit. Si quid horum desit, *vitiosa* est possessio, quæ pro possessione non habenda.

§. 452.

§. 452.

Possessionis immemorialis nullus peculiaris effectus in jure naturali ostendi potest, nec divisionis in titulatam & non titulatam possessionem singularis utilitas est.

§. 453.

Malæ fidei possessio lèdit dominum, unde huc trahuntur possunt, quæ de læsionibus traduntur. Bonæ fidei possessio domino nocet casu, unde nulla ex hac ad damni restitutionem obligatio, nisi quantum in lucro est possessio.

§. 454.

Bonæ fidei possessori reddendæ impensæ in rem factæ, quibus tempore restitutionis res adhuc est melior, voluptuarias tollere tantum poterit. Malæ fidei possessori jus tollendi tantum intuitu omnium, quæ fecit, indulserim.

§. 455.

Malæ fidei possessor tenetur de fructibus perceptis & percipiendis, sive sit locupletior, sive secus, & damno quoque, quod casu contigit, quando possessio usurpata occasio ejus fuit.

Wolf. J. N. Tom. 2. §. 443.

Fructus industriaes in alieno culti fiunt communes, etiamsi alter mala fide possideat. §. 6:3. 625. Malæ fidei possessori fiunt restituenda impen-

sa necessaria & utiles. §.

626. 28. 31. Bonæ fidei possessori impensæ utiles, restituendæ, et si domino æque utiles non sint, item voluntuarie.

§. 456.

Jura possessionis sunt, quæ ex possessione oriuntur, & possessori ideo tribuenda quia possidet.

§. 457.

Hic referenda, 1) quod ad possessorem res pertinere credatur, quam possidet, donec alius contrarium probaverit. Si quis tamen jus possidet, quod in re aliena exercendum, ubi igitur juris opinio ipsi contraria est, ex

possessione pro professore opinio juris non oritur, seu opinio quam, pro se habet libertas, vincit eam, quam dare potest possessio. Potest enim possessor esse, qui jus non habet, unde non potest possessio præponderare jurii, quod probati loco habendum est.

§. 458.

Probato jure non possessoris, corruit opinio, quam pro se habet possessor.

§. 459.

2) Possessor in possessione non turbandus, nec de ea dejiciendus, si jus in re nondum probatum, nec probati loco habendum est. Inde contra turbantem se licet vi defendere, & dejicientem & quemvis alium, qui ab hoc caussam habet, impune iterum dejicere.

§. 460.

Jus possidendi, a juribus possessionis distinguendum, est jus de possessione statuendi, quod jus partim ex possessione descendit, partim ex variis juribus.

C A P V T XXXI.

De delictis, & inde orto jure, puniendi, defensionis & indemnitatis.

§. 461.

Læsio est actio, officio perfecto erga alium contraria.

§. 462.

Omnis læsio debet esse actio externa, & cogitationis pœnam nemo luit.

§. 463.

Injuria Deo illata, & violentia, quam quis sibi ipsi intulit, in jure naturali ad læsiones non referendæ.

§. 464.

Læsiones, quibus pœna imminet, dicuntur *delicta*. Inde, cum semper, si dolus vel culpa subsit, pœna immittit.

nere queat, hoc casu quoque semper delicta dici possunt.
Delictum casuale proprie non est delictum.

§. 465.

Delicta vel sunt *dolosa* vel *culposa*. Illa incongrue
vera, hæc, æque incommodæ & contra juris civilis sensum,
quasi delicta vocant.

§. 466.

Si delinquens nondum omnia peregit, quæ sibi pro-
posituit, & ad delicti plenam notionem requiruntur, actio
ejus dicitur *conatus*, qui in *remotum* & *proximum* dividit-
ur. *Hic* est, ubi ultimus actus tantum ad consummatio-
nem superfuit, *ille*, ubi inter consummationem & cona-
tum sunt adhuc actus intermedii.

§. 467.

Delictum consummatum est, ubi nihil restat eorum,
quæ fieri voluit auctor, & ad notionem delicti plenam
necessaria sunt.

§. 468.

Qui doli & culpæ incapax est, non potest delictum
committere, nisi dolo suo vel culpa in eum animi statum
tempore facinoris fuerit conjectus, ubi doli & culpæ inca-
pax fuit.

§. 469.

Erga mortuos delicta non committuntur, si viven-
tium non interest, ne mortui lædantur.

§. 470.

Ex omni delicto læso oritur jus pœnam & damni
refarcitionem exigendi.

§. 471.

Pœna est malum physicum, illatum ob delictum ab eo,
qui jus illud inferendi habet.

§. 472.

Pœnæ determinatae doceri non possunt in jure natu-
rali, sunt tamen eousque definitæ, ut & ad emendationem,
& ad exemplum aliis statuendum, sufficere debeat.

§. 473.

§. 473.

Pœnarum finis est extenuatio puniti, exemplum aliorum, aut ut omnis facultas iterum nos lædendi admittatur criminoso.

§. 474.

Non tantum auctor delicti, sed & socii participesque omnes pœnam merentur, & tam consummatio, quam conatus.

§. 475.

Pœna de mortuo quoque quodammodo sumi potest.

§. 476.

Pœna sumta non absorbet damni compensationem, nec hæc facta tollit pœnam.

§. 477.

Pœnam sumendi jus, non potest exerceri erga heredes, at damni restitutio heredibus incumbit.

§. 478.

Ad pœnam plures confortes ita tenentur in solidum, ut, uno jam punito, reliquos eadem pœna denuo exspectet.

§. 479.

Si læsus moritur, ad damnum resarcendum eadem manet necessitas, nec de pœna aliquid remittere teneatur heredes.

§. 480.

Læsus potest & pœnæ & damni repetitioni renunciare.

§. 481.

Fas est quidvis facere ad avertendam læsionem, id quod jus securitatis dicitur. Utique cuivis licet 1) defensione, i. e. resistere potest lædere volenti, & læsionem imminentem opposita vi declinare, 2) jure puniendi, si læsio jam facta.

§. 482.

Si læsio ab alio homine imminet, quam fuga avertere licet, tum in fuga salutem quærere perfectum officium non

non vult. Cæterum plus mali in defensione non inferendum aggressori, quam necessitas jubet, & tum, si leviori ratione idem fieri non potuit, quod atrociore factum est, excusata est atrocitas. Hæc præterea tum tantum permissa est, si aggressio illicita ab adversario facta, nec ab ipso læso odii aut certaminis initium est. An vero sui conscius sit aggressor, an secus, an doli culpæve capax, an incapax, non disquirendam, nec, an bonis, an corpori, an famæ, aliisve jactura immineat, nec, an proportio s. similitudo sit inter malum, quod in defensione adhibetur, & quod ab aggressore imminet.

§. 483.

Si ab inimico metuenda aggressio, cui violenta defensio opponenda est, tum licet præveniendo ea vi adhibita alterum præpedire, quæ diutius dilata forsan inefficax foret.

§. 484.

Jus defensionis est infinitum. Ab iis tamen, in quibus nulla vis se tuendi, & ab injuriis se eximendi, sed tantum alteri nocendi inest, in defensione abstinentum est, nec in violentia adhibenda pergendum, quando aggressor jam ad infirmitatem & consilium redactus, ut nocere amplius non possit, aut nolit.

§. 485.

Jus puniendi ad facultates juris naturalis coannatas referendum, exercendumque, si ab auctore læsionis, aut aliis, similia exspectanda, ut adeo aut emendari debeat animus criminosi, aut ei omnis plane facultas iterum nocendi adimi, & alii a voluntate hunc imitandi absterrei. Quæ autem quantitas poenæ esse debeat, proprius jure naturali definiti nequit, nisi ita, ut ad finem per hanc obtinendum sit sufficiens, non major.

§. 486.

Si ipse læsus ad sumendam poenam vires non habet, alii possunt, ejus loco, poenam exsequi, sive læsus id ipsis mandaverit, sive secus, quia illis similia ab auctore metuenda, & saltim imperfecta eos tenet læso subveniendi obligatio.

CAPVT

C A P V T XXXII.

De jure possendi indemnitatem etiam ex causa delicti.

§. 487.

Damnum est boni, ad quod jam fuit jus quæsitum, privatio, quæ jure nobis non contingit.

§. 488.

Est vel *positivum* vel *privativum*; illud, si læsus jam possidebat id, quod ademtum, hoc, si non possidebat, jus perfectum tamen, illud acquirendi, jam habuit. Hoc dicitur lucrum cessans, illud, si damnum est extraordinarium mediate ex læsione profluens, vocatur *damnum emergens*. Lucrum cessans, & damnum emergens, comprehensa, dicuntur *id quod interest*.

§. 489.

Qui culpa sua damnum patitur, merito id ferre debet, nec ab alio ejus compensationem postulare potest, nisi hic dolo id dederit.

§. 490.

Consilii & commendationis auctor non tenetur ad damni, ex consilio executori enati, restitutionem, nisi dolo fecerit, aut sit consilium artis periti, quod examinare non potuit executor.

§. 491.

Si jure illata est jaætura, cessat damni reparandi ab auctore necessitas, nisi in casu necessitatis alii innocentijure dispendium fuerit illatum, cui omnino quamprimum fieri potest, omnia reparanda. Regula enim, quod qui jure suo agit, nemini faciat injuriam, tantum, an licitum illicitumve sit, quod actum est, decidit. Jaætura alii innocentij a nobis illata in casu necessitatis, est quasi salutis nostræ procuratio aliena impenza facta, cum tamen ex aliorum loculis sibi commoda querere nemini sit permittendum.

§. 492.

Cap. XXXII. De jure poscendi indemnitatem &c. 95

§. 492.

Qui absque sua culpa, dolo aut culpa alterius, damnum accipit, ab hoc ejus reparationem jure desiderat.

§. 493.

Quod is, qui sine sua culpa in damnum incidit, & sine alterius injuria, ita tamen, ut alter sit cum damno ejus locupletior, indemnisi ab hoc præstari debeat, jam supra alia occasione dictum.

§. 494.

Si ab animali, aut re inanimata, damnum datum, sine accidente hominis dolo aut culpa, atque ita, ut nec aliis cum nostro damno sit locupletior, dominus ad id compensandum nullo modo tenetur.

§. 495.

Damnum, quod casu contingit, in negotiis, ubi unius dominium in rationem venit, fert dominus, in reliquis, ubi de dominio cuiusquam nihil dici potest, fert ille, cui accidit.

C A P V T XXXIII.

De gradu moralitatis.

§. 496.

Delictis insunt gradus, quibus atrociora vel leviora redunduntur, quos *gradus moralitatis* dicunt. Mensura eorum capitur a singulis momentis, quæ in delicto discerni possunt. Sunt autem hæc: facinus ipsum, dolus, culpa, libertas agentis, damni quantitas, & officiorum læsorum cumulus.

§. 497.

Quo major culpa, i. e. quo facilius evitari potuisset ea animi socordia, qua læsio facta est, eo majus est delictum culpotum.

§. 498.

§. 498.

Delicium dolosum gravius est culposo.

§. 499.

Quo maturius delinquentis judicium, quo melius a præceptis officii instructum, quo distinctior rei, quæ facta est, intelligentia, quo longior præmeditatio, quo minor affectuum impulsio, eo gravius est delictum.

§. 500.

Quo plura officia perfecta læsa, eo majus est delictum.

§. 501.

Quo majus est damnum, quod per delictum datum, eo major atrocitas & huic inest.

§. 502.

Quo plus culpæ habet læsus, eo minor est læsio, unde auctor rixæ & pugnæ spestandus.

§. 503.

Quo plus ab aliquo ad crimen committendum factum & collatum est, eo magis est reus.

§. 504.

Conatus remotus levior proximo, hic consummatione.

§. 505.

Auxilium proximum & consilium speciale graviora sunt auxilio remoto & consilio generali.

§. 506.

Ex jussu lædens, majorem habet excusationem, quam, qui ex mandato læsit.

§. 507.

Justus dolor delicta minuit.

§. 508.

Quo minor per rerum, quæ fuerunt, rationes, affectui resistendi facultas fuit, eo minus est delictum.

§. 509.

§. 509.

Præter hos mensuræ in delictis modulos, ex ipso delicto petitos, dantur adhuc alii, a poenæ indole desumendi. Unde regula: quo magis exemplo aliorum opus est, quia ad permultorum notitiam pervenit delictum, aut ad imitandum stimulos habet, quo magis ab ipso delinquente metuendum, ne similia audeat, quo minus ad poenam leviorem sensum habet, sed quasi occalluit, & hebes est ad ea, quæ non acutius penetrant, quo minus poenitiam ostendit, eo magis augenda poena. Ex ratione contraria minuenda est.

§. 510.


Mitigantia delicti sunt ea, quæ nomen delicti non mutant, poenam tamen minuendi vim habent, *exasperantia*, quæ, nomine delicti non mutato, ad augeadam poenam comparata sunt. Tam haec, quam illa, sunt vel communia omnium delictorum, vel nonnullis delictis propria.

§. 511.

Ad mitigantia communia referenda sunt, resarcitio damni dati, & quicquid huic æquipolle, poenitentia servia, mentis imbecillitas, necessitas nonnulla, justus dolor, aliisque affectus ita excitatus, ut difficulter resisti potuerit, ingenium a doctrina admodum incultum, immatura ætas, ab aliis facta persuasio singularis & quasi protrusio.

§. 512.

Inter exasperantia numeranda est frequens repetitio delicti, diu facta præmeditatio, singularis animi crudelitas, ad turpitudinem abjectio, vinculum læsum multiplex &c.



CAPUT XXXIV.

De singulis delictorum speciebus.

§. 513.

Læfiones aliorum, intuitu animæ, vel pertinent ad intellectum, quorum in errorem noxiū inductio, ingeniū per crapulam, invito bibente effectam, oppressio, per falsas persuasiones, aut in homine nondum maturi ingeniū, facta ad vitia corruptio.

§. 514.

Intuitu corporis lœsio contingit per homicidium, vulnerationem, luxationem, rupitionem.

§. 515.

Intuitu existimationis & libertatis per stuprum violentum, raptum, intuitu famæ solius per injuriam.

§. 516.

Intuitu bonorum statusque externi per furtum, rapinam, concussionem, vim, spolium, illicitum rerum alienarum usum, damnum iis allatum, damnum injuria datum, perfidiam in pactis, falsum, adulterium.

§. 517.

Inter lœsiones bona concernentes speciatim quoque est *mora*, quæ est omissione dolosa vel culposa præstandi officii eo tempore, quo ei satisficeri debuisset. Est hæc vel debitoris s. solvendi, vel creditoris s. accipiendo. Hæc jūs dat debitori, rem debitam, juste oblatam, renuente creditore deserendi, & omne damnum, sibi ex mora creditoris oriundum, ab hoc repetendi. Illa obligat debitorum ad ferendum periculum, cui mora occasionem dedit, & præstandum omne aliud dispendium, quod creditor habet. Mora autem nulla contrahitur absque interpellatione partis adversæ.

§. 518.

De bigamia, incestu; sodomia, stupro volenti illato aliisque, extra rem publicam, ex jure perfecto inter homines, parum

Cap. XXXIV. De singulis delictorum speciebus. 99

parum certi dici potest, quamvis hæc omnia in præcepta morum & pietatem admodum impingere possint.

§. 519.

Injuria est quicquid in alterius contemtum vel ignominiam fit. *Contemptus* est denegatio honoris peculiaris alicui perfecte debiti. *Ignominia* est læsio honoris communis. *Injuria* est vel *realis* vel *verbalis*. Illa cum læsione corporis conjuncta, hæc secus.

§. 520.

Verba, quæ, ex natura sua injuriosa sunt, faciunt injuriam. In aliis spectandus animus injuriandi, quando de injuria dolo facta agitur.

§. 521.

Veritas convicci liberat ab animo injuriandi, si quis narravit vera, quæ famæ alterius detrahunt, in loco, ubi id facere necesse erat, non liberat, si præter necessitatem, animo se aliosque oblectandi, facta est narratio & objectio. Idem de nominatione auctoris dicendum.

§. 522.

Conditionata injuria est vera injuria, sive conditio existat, sive secus.

§. 523.

Jus & animus castigandi etiam tum ab injuria liberat, si ea adhibita sunt, quæ alias injuriæ indolem habent.

§. 524.

Eum, a quo prædictio & divinatio exigitur, qui que jus suum persequitur excusat etiam commemoratio eorum, quæ admodum, probabilia, licet vera non sint, quamvis honorem alterius lædant.

C A P V T XXXV.

De varia jurium & officiorum origine

§. 525.

Jura & officia, quæ a statu pendent, oriuntur statim, orto statu.

§. 526.

Jura & officia, quæ immediate ex lege sunt, alia speciali acquisitione non indigent. Idem dicendum de juri- bus & officiis connatis.

§. 527.

Jura & officia ex pactis & ultimis voluntatibus adiungunt initio pacto, vel condita voluntate in casum mortis. Jura & officia ex delictis adsunt commisso delicto.

§. 528.

Jura & officia, quæ cum re connexa, acquiruntur cum re, si jam existiterunt ante, quam res ad nos veniret.

§. 529.

Titulus s. caussa est negotium, cui per leges inest facultas jus aut officium in nos transferendi. Modus acquirendi est factum, quod, cum titulo conjunctum, efficit jus ipsum vere inchoari & apud nos residere.

§. 530.

Jure naturali præter titulum ad acquirenda jura nihil requiritur, nec opns est ullo modo acquirendi.

§. 531.

In omni jure & officio discerni potest ejus *delatio* & *acceptatio s. agnитio*. *Ita* est, qua voluntati nostræ relinquitur an jus acquirere, officium nobis imponere, velimus, *hac* est declaratio consensus nostri in acquisitionem & susceptionem. Utraque requiritur, ut jus vel officium perfecte acquisitum dici possit.

§. 532.

§. 532.

Acquisitio vel est *originaria* vel *derivativa*. *Illa* est, quando alii non debetur jus, quod acquisitum, sed antea ad neminem speciatim pertinuit. *Hæc*, ubi ratio est contraria. *Derivativa* est, vel *constitutiva* vel *translativa*. *Illa* est, si id jus, quod a nobis acquiritur, ab alio ad nos quidem profectum est, attamen ita, ut ad nos pervenit, apud alium non exsttit. *Hæc*, si secus est.

§. 533.

Translationis species est *cessio*, quæ est translatio juris cuiusvis nostri, præter dominium rei corporalis, in alterum.

§. 534.

Si fuit aut esse debuit inter plures juris communio, & eorum unus alterve deficit, unde vacans ejus portio portioni alterius socii jungitur, dicitur *accretio*. Si in casum negligentia alterius, jure suo non utentis, jus alteri futurum jam erat constitutum, quod nunc, negligentia plene ostensa, fit præsens, *devolutio*. Si jus circa eamdem rem inter plures divisum erat, quod nunc, exstincto jure unius, iterum fit plenum, *consolidatio*. Si ex jure inter plures communi oritur jus cuiusvis separatum, *divisio*.

§. 535.

De derivativa acquisitione valet regula: nemo potest plus juris in alterum transferre, quam ipse habet.

§. 536.

In acquisitione derivativa si is, qui jus in nos transfert, post præcedentem titulum, declarat, quod jus translatum nunc vere inchoari, & initium capere debeat, hæc declaratio dicitur *traditio*.

§. 537.

Traditio itaque jure naturali ad jus transferendum necessaria non est: Nec opus ergo, de traditionum variis speciebus multas docere.

§. 538.

In cessione obvii, cessionarius, cedens & debitor cessus. Cessio fieri potest inscio & invito debitore, manent tamen salvæ debitori cesso contra cessionarium omnes exceptiones, quas contra cedentes habuerat.

§. 539.

Cessionarius utitur jure cedentis, teneturque debitor cessus, postquam ipsi denunciata est a cedente vel cessionario cessio, huic absisse solvere, non cedenti, nisi denuo solvendi periculum subire velit. Cedens autem cessionario præstat non tantum veritatem nominis, sed & bonitatem ejus saltim temporis, quo cessio facta.

§. 540.

Acquisitio juris, quod ad defunctum pertinuit, & per hujus mortem in nos est translatum, strictius dicitur *succesio*.

§. 541.

Successio est vel *hereditaria* vel *singularis*. *Illa* acquiruntur jura, de quibus defunctus statuere, eaque nobis, si libuisset, auferre poterat, *hac* jura, de quibus nulla defuncto erat secus statuendi facultas.

§. 542.

Hereditaria est vel *universalis* vel *particularis* s. *singularis* alio sensu. *Universalis*, quæ conjuncta cum jure hereditario universalis s. repræsentatione defuncti, *hæc*, quæ sine hac repræsentatione est.

§. 543.

Hinc prodit successor universalis seu heres, & successor singularis dupli sensu veniens.

§. 544.

Successio hereditaria dividitur quoque in *legitimam*, quæ sine pacto & dispositione ulla defertur, in *testamentariam*, quæ ex ultima voluntate, & *pactitiam* quæ ex pacto successorio vel donatione mortis causa derivatur.

Suc-

Successio singularis vero in legitimam, successionem *ex pacto & providentia majorum*, s. quæ ex delatione a prædefuncto orta, a quo mediate ad nos devoluta est, & *electitiam* dividitur, quæ ex tertii, ad quem jus defuncti usufructuarium post hujus decesum redierat, delatione originem habet.

§. 545.

Complexus bonorum defuncti, quæ reliquit, & de quibus ex animi sententia statuere potuerat, dicitur *hereditas*.

§. 546.

Hereditas non intelligitur, nisi deducto ære alieno.

§. 547.

Jus succedendi, seu *jus*, quo quis ad successionem est admittendus, est totuplex, quotuplex successio ipsa.

§. 548.

Jus ex successione adest, quamprimum antecessor mortuus est, pacto, lege, electione vel ultima voluntate successionis delatio facta, eaque acceptata est.

§. 549.

Jus succedendi legitimum jure naturali nullum est, sed omnis hereditas, quam defunctus nemini speciatim addixit, cuivis ad occupationem prostat, cum cojuncti nec ex voluntate defuncti, quæ fingi hoc casu tantum possit, jus in hereditate sibi vindicare queant.

Wolf. J. N. Tom. 7. §. 1033.

Siquis intestatus decedit, ei succedunt liberi, vel, his deficientibus, parentes, ita ut in liberis attendatur jus repræsentationis, in parentibus autem proximitas gradus. §. 1034. Deficiente

herede in linea recta, ab intestato succedunt, qui sunt in familia patris vel matris secundum gradus familiæ, & his deficientibus similiter, qui sunt in familia avi vel avia, ac ita porro.

§. 550.

Status heredis est ea hominis, cui jus hereditarium universale delatum est, qualitas, qua defunctum nunc vere representat, ejusque voluntatem implere tenetur. *Hunc qui jam habet, dicitur heres sensu strictiore.*

§. 551.

Ut heres in sensu strictiore oriatur, praeter delationem juris opus est acceptatione ejus, cui defertur, siveque heres eiusmodi nemo ipso jure fit.

§. 552.

Acceptatio juris hereditarii universalis delati dicitur *hereditatis aditio* scilicet pro herede gestio, scilicet imixtio, *declaratio contraria autem repudiatio, omisso hereditatis, abstinentia.*

§. 553.

Acceptatio ejus, cui hereditas ex pacto successorio aut donatione mortis causa defertur, necessaria est, ut inde officia heredis orientur. Nec cogi quisquam potest, ut heres fiat.

§. 554.

Per acceptationem delatae hereditatis possessio hereditatis ad acceptantem nondum transit, sed haec sigillatim est apprehendenda. Jura tamen possessionis, quae defunctus habuit, in herede continuantur.

§. 555.

Heres non tenetur ære alieno defuncti, aut legatis, ultra vires hereditatis.

§. 556.

Si heres a defuncto nominatus ante mortem ejus vivis excessit, in locum nominati intrant ipsius heredes, nec opus est ad transmissionem juris hereditarii, ut nominatus heres defuncto fuerit superstes.

Wolf. J. N. Tom. 7. §. 1043.

Si heres moriatur ante acceptationem, vel anquam mo-

dum, sub quo heres institutus, aut legatum relictum, adimpleretur, nihil transmittit.

§. 557.

§. 557.

Si plures coheredes nominati a defuncto, eorumque unus vel alter ante testatorem deceperit, nullo relichto herede, reliquis non datur jus accrescendi in portione praedefuncti, sed haec potius, ut omnium, ita & coherendum, occupationi relinquitur.

Wolf. J. N. Tom. 7. §. 1055.

Si heres unus hereditatem repudiat, vel etiam legatarius

legatum; portio illius vel res legata hujus hereditatis accrescere.

§. 558.

Omnia iura, quae defuncti fuerunt, sunt etiam iura heredis, quando ratio specialis allegari nequit, cur hoc vel illud jus ad heredem transire non possit. Idem de officiis, quae defunctus sustinuit, dicendum.

§. 559.

Collatio est imputatio jam acceptorum beneficio defuncti, dum viveret, in portionem hereditariam.

§. 560.

Ex jussu defuncti inter coheredes locum habere potest collatio, sed absque hoc statui nequit, et si fingeretur successio ab intestato.

§. 561.

Onera institutioni adiecta heres subire tenetur, quantum vires hereditatis non superant.

§. 562.

Legatarius, si reliqua hereditas æri alieno par est, ad debita defuncti extinguenda non obstringitur, in casu contrario tamen & ipse ad solvendum æs alienum conferre debet, quatenus accepit.

§. 563.

Legatarius non potest propria auctoritate legata occpare, sed eorum solutionem ab herede expectet oportet.

§. 564.

Cæterum quæ de acceptatione, apprehensione, morte ante testatorem secuta, & jure accrescendi, in herede dicta sunt, valent etiam de legatario.

Wolf. J. N. Tom. 7. §. 1057.

Si res eadem duobus conjunctim legetur, & unus illorum

legatum repudiet, legatarius illi conjunctus rem legatam solus accipit.

§. 565.

Si, tempore solvendi legati, nec legatarius adest, nec qui in locum ejus intret, heres retinet, quod legato destinatum erat. Idem dicendum, si hereditus per fidei commissum restituenda, nec adest tempore facienda restitutionis, qui ex fideicomisso jus habeat.

§. 566.

Si & successio hereditaria et singularis simul eidem defertur, integrum huic est, utramque simul acceptare, aut alterutram tantum, altera repudiata.

§. 567.

Successor singularis ultimi defuncti nec voluntatem, nec & alienum agnoscit, nec obstringitur generatim iis officiis, quæ defunctum tenebant, nec in jura ipsa speciatim acquisita succedit.

§. 568.

Si successor singularis simul fit heres, tum duplē personam sustinet, quarum nulla cum altera confundenda. Quæ tamquam heres debet successor, non magis possunt exigi ex bonis ad successionem singularem pertinentibus, quam, quæ ad hujus successionis bona speciatim referuntur, ad hereditatem trahenda sunt.

§. 569.

Qui ex pacto & providentia majorum succedit, obstringitur voluntate & factis primi constituentis. Ultimi defuncti facta successor singularis præstat, vel ob versionem in rem, vel ex speciali consensu suo.

§. 570.

§. 570.

Etiam præscriptione acquiri jura per leges naturales volunt nonnulli. Est autem *præscriptio* amissio juris per non usum ejus certo tempore continuatum. Hæc licet immediate interitum juribus adferat, non potest tamen inde non oriri in altera parte juris novi ex ruina prioris exordium. Unde acquisitionibus non immerito accensetur, si statui vere posset.

§. 571.

Rationes, quas *præscriptio* habere potest, sunt a) poena negligentiae hominis, non utentis jure suo, ut diligenter et alacrior hac jactura metuenda reddatur, b) incommodum ex litium perpetuitate oriundum, quas incidere aliquando & abrumpere publice interest, c) tacita derelictio juris, ex neglecentu ejus per longum tempus continuato, verisimilis. Sed negligentia in jure suo non est laesio alterius, quæ jure naturali sola puniri potest. Incommodum alteri oriundum non est ratio alteri jus suum adiamenti, cum omne jus creditoris debitorem officii lubenter immemorem plerumque gravet. Ad tacitam denique voluntatem requiritur factum concludens, quod omissione juris sui non est, ad inferendam derelictionem. Ut enim quis jure suo vel ideo non potest, quia deest nunc temporis opportunitas, jus suum persequendi, vel quia jam re opus non habet, aut non oneratur per jam impeditum ejus usum, unde connivere mavult, donec molestius evadat impedimentum, vel quia vires, jus suum persequendi, ipsi desunt, aut si quid aliud. Ergo derelinquendi animum absisse conjicere justo audacius est. Deinde quæso, si derelictio ex neglecentu alicujus temporis adsumenda, an unius diei neglecentus hunc in finem jam sufficit? Negas. Ergo bidui forsan? Hæsitas. An anni, an biennii, aut longioris temporis lapsus necessarius? Sed semper respondes, nihil certi dici posse. Ergo parum aduers folatii. Et, si certum quid definires, admodum claudicaret probatio. Inde optimum est, rei tam incertæ & arbitrariæ in jure naturali nuncium mittere.

§. 752.

§. 572.

Præsertim dominium acquiritur per *occupationem*, si res, quæ huc usque nullius dominio subsuit, acquirenda est. *Occupatio* est apprehensio possessionis rei, animo ius in ea acquirendi facta.

§. 573.

Cum res, quæ dominum non habet, ex communitate primæva ad dominium traduci possit, et nemo hoc facto lædatur, sequitur, ut, ubi animus dominium ejus in se transferendi efficaciter declaratur occupatione, hæc ad dominium sibi quærendum sufficiat.

§. 574.

Ergo intuitu rerum, quæ nullius sunt, cuilibet est *jus occupandi*, i. e. dominium earum acquirendi per solam occupationem, quod est *jus occupandi commune*.

§. 575.

Occupatio fieri debet animo & corpore simili.

§. 576.

Res usus inexhausti, res nondum natæ, adhuc incognitæ, aut quæ custodia coerceri nequeunt, non posse sunt occupatione in dominium redegi.

§. 577.

Rei in dominium redactæ usum aliis licet interdice-re, &c., quamvis innoxiae dicatur utilitatis esse; dominum tamen integrum esse debet, æstimare, an vere sibi innoxius sit usus, an fecus.

§. 578.

Accessio est re, nostræ incrementum. Hæc sive, naturalis, sive industrialis, sive mixta sit, sua sponte dominum in aliquem non transfert, sed, si separatio fieri potest, res alterius a re nostra est separanda, si accessit res dominii non habens, hæc sigillatim est occupanda, si separatio fieri nequit, rerum conjunctarum singulæ manent

manent qui tem suo domino, quodsi vero una absque altera commodum usum non præstat, transigendum inter eos, quorum interest, quomodo sibi mutuo satisfacendum sit.

Puffend. J. N. & G. L. 3. c.
§. §. 8. *Qui v. g. de futuro
sic dicit, cras dabo, cras
donabo, aperte significat, se
jam non dedisse. Itaque toto
hodierno die jus, quod in rem*

*suam habet, immoritur manet,
uti & crastino & deinceps, ...
si per novum promissum iis
transstulerit, aut actu invenia
dederit.*

§. 579.

Possessio acquiritur per occupationem & traditionem. Si quis in detentione jam est, ad acquirendam possessionem, vel naturalem vel civilem, solus animus sufficit, alias corpore & animo simul acquirenda possessio. Traditio symbolica, & quæ longa manu fit, non dat rei possessionem.

C A P V T XXXVI.

De vario jurium & officiorum interita.

§. 580.

Jura & officia pereunt his fere modis. 1) *Solutione*, quæ proprie est satisfactio creditorí data per præsentem præstationem ejus, quod debetur.

§. 581.

Hæc facienda a) debito tempore, non ante tempus constitutum, si creditoris interest, non longe postea, b) debito loco, qui, si conventioni vel dispositioni adjectus, in dubio in utriusque partis commodum expressus censemtur, ita ut nec creditor alibi petere, nec debitor alibi obtrudere possit, solutionem. Si tamen debito loco solutione non fiat per culpam unius, potest alter alio loco, ubi deprehenditur pars adversa, solutionem & petere & offerre, tumque innocentia damnum inde oriundum compensandum est. Si alternatim de pluribus locis aut rebus, ubi, vel quæ, præstandæ conventum, electio est debito

bitoris. Si locus nullus definitus, non nisi in domicilio suo debitor solvere tenetur. c) debito modo, ita ut 1) nec particularis petatur, aut obtrudatur, solutio, nec 2) aliud pro alio exigatur aut detur, altero invito; consentiente creditore permissa est datio in solutum, nec 3) monetæ incongruae numerentur. Sunt enim monetæ ejus bonitatis solvendæ, quæ erat tempore ortæ obligationis, quando mutatus postea valor internus mutavit etiam externea rerum pretia.

Wolf. J. N. Tom. 5. §. 700.

Debitor pecuniam numerare, aut rem solvendam tradere debet in domo, quam inhabitat, aut in qua degit, in loco solutionis, creditor. §. 703.

Si debitor praestat, quod interest, in loco convento solvi, & solutionem alio loco offert, eam acceptare tenetur creditor.

§. 582.

Si pluribus ex capitibus creditor debet alius, & pecuniam mittit debitor, non omnibus capitibus extinguendis parem, ea prius imputanda in usuras debitas, deinde in sortes, ex his autem primo in debitum antiquius, & deinceps in recentiora.

§. 583.

Solutionem a debitore ex ase faciendam desiderare potest creditor, et si illi nihil facultatum remaneat, sed is ad summam per totius debiti solutionem redigatur in opiam.

§. 584.

Si debitor non habet unde solvat, ideo non licet eam includere, licet tamen cum ad quasvis operas, quas praestare potest adigere, quantum per has paullatim creditori satisfieri potest.

Wolf. J. N. Tom. 4. §. 813.

In casu dubio creditor non nisi partem debiti exigens, jus suum exigendi partem adhuc residuam remisisse præ-

Jumitur. Tom. 5. §. 717. Qui alienum debitum sine mandato solvit, debitorem sibi ad restituendum perfide obligatum non habet.

§. 585.

Cap. XXXVI. De vario iurium & officiorum &c. III

§. 585.

2) *Compensatione*, quæ est substitutio debiti creditoris in locum debiti debitoris. Debita tantum ejusdem generis, quæ utrimque existienda, compensationem admittunt, species nec inter se, nec cum genere, possunt compensari; cæterum an ex delicto, an aliunde, debita mutua sint, perinde est. Est autem compensatio loco solutionis, & fit ipso jure.

§. 586.

3) *Confusione*, quæ fit, si persona debitoris & creditoris in eumdem hominem incidentur.

§. 587.

4) *Novatione*, quæ est mutatio prioris obligationis in aliam, vel cum delegatione, si persona debitoris simul mutatur, vel sine ea, si secus.

§. 588.

A delegatione & cessione adsignatio differunt eo, quod in illis prior debitor plane liberetur, qui erat delegans & cedens, in assignatione autem obligatio prior continuetur.

§. 589.

5) Si conditio suspensiva deficit, aut resolutiva contingit, aut dies, ad quem usque concessum est jus, appropinquat.

§. 590.

6) Si contractus, ob clausulam rebus sicutstantibus, mutuo dissensu, aut ob alterutrius perfidiam, aut negligentiā in implendo, dissolvitur.

§. 591.

7) Morte creditoris aut debitoris in personalissimis,

8) Rei interitu. 9) Status aut rei, cui inhærent jura aut onera, amissione.

§. 592.

10) *Alienatione* juris, qua per voluntatem nostram jus a nobis abscedit ita, ut vel *transferamus* illud in aliū, aut *cedas*.

cedamus, vel in neminem speciatim illud transire vellimus, eo nos, futuram est si, abdicando seu renunciando, si præsens, illud remittendo.

§. 593.

11) *Divisione.* 12) *Revocatione.* 13) *Si resolvitur jus ejus, a quo alteri jus concessum,* 14) *Abusu juris cum lœsione alterius coniuncto.* 15) *Pugna juris recentioris aut infirmioris cum antiquiore aut fortiore.*

An fuga ferarum dominium recuperandi decollavit, ex amittitur? Patat Wolf. J. assumenta derelictione.
N. Tom. 2. §. 261. si spes

§. 594.

Ad divisionem licet quocunque tempore provocare, nisi ad certum tempus communio inita sit.

§. 595.

Ad renunciata non datur regressus.

§. 596.

Quilibet potest juri suo renunciare.

§. 597.

Ad alienationem nemo cogi potest.

§. 598.

*Abdicatio dominii dicitur *derelictio*, qua quis animum, dominium non amplius continuandi, declarat, sine ejus translatione in alium. Hoc modo derelicta res fit res nullius, et differt a re abjecta & amissa.*

§. 599.

Res abjecta est, quam quis e possessione sua dimisit interim, iminentis calamitatis avertendæ caussa, amissa, quæ invito possessore ejus possessionem excessit. Neutra fit res nullius.

§. 600.

Possessio amittitur animo aut corpore solo, aut utroque simul, traditione, derelictione, dejectione, amissione, abjectione.

CAPVT

C A P V T XXXVII.

De modis confirmandi jura & officia.

§. 601.

Firmantur jura & obligationes. Per 1) cautionem, quæ est quicquid securum reddit creditorem, debitorem officio suo satisfacturum. Ea est vel *fidejussoria s. satisfatio*, vel *pignoratitia*, vel *juratoria*, vel *nude promissoria*, vel *debitoris carcer*, vel adjecta *pæna conventionalis*, ubi malo cuidam physico se pacto subjicit contrahens, iv casum si contractum læserit.

§. 602.

2) Defensionem, & quicquid jure securitatis sit.

§. 603.

3) Protestationem & reservationem. *Protestatio* est ejus, cui adversum quid ab alio suscipitur, & ex cuius silentio, circa id quod actum servato, consensus tacitus in rem sibi noxiā forsan colligi posset, declaratio, quod, discrimen sibi imminens patiendi, neutiquam ipsi animus sit.

§. 604.

Quia silentium consensum tacitū numquam infert, patet, protestationem non tam necessariam, quam utilem esse. Quia vero juris jam quæsiti defendendi causa tantum adhibetur, novum jus inde non oritur.

§. 605.

Si quis vero ea suscipit, ex quibus non possunt non sequi tales effectus, quales ipsi non placent, protestatio non prodest, & dicitur *sæto contraria*.

§. 606.

Reservatio partim eodem sensu cum protestatione venit, partim peculiari. *Proprie* est declaratio ejus, qui in amissionem hujus vel illius juris consensit, quod consensum hunc ad alia, quæ sub consensu hoc quisquam comprehensa putaret, extendi nolit.

Westph. jus nat.

H

§. 607.

§. 607.

Si amissio & conservatio juris, quod quis reservat, ab ejus arbitrio non pendet, aut id, quod reservatur, non potest non sub eo, quod alienatur, contineri, inanis est reservatio. Præterea, instar protestationis jus novum non tribuit, sed ejus, quod jam adest, jacturam tantum impedit.

§. 608.

4) Curam conservandi jurium memoriam per varia probandi media & symbola annua.

§. 609.

Possessor munit suam possessionem, quando de retinenda ea contra turbantem, aut recuperanda contra deficentem, sollicitus est.

C A P V T XXXVIII.

De modis persequendi iura.

§. 610.

Præsertim conservandis juribus inservit eorum *persecutio*, seu data opera, ut ii, qui juribus nostris obsequi detrectant, officium impleant.

§. 611.

Persecutio jurium, si de arbitrio non conveniat, inter eos, qui extra societatem vivunt, non potest fieri, nisi via facti, i. e. ita, ut creditor ipse suo facto & coactione a se profecta debitorem eo perducat, ut officio obsequatur.

§. 612.

Huc trahenda 1) *retentio*, quæ est continuatio possessionis rei alienæ, postquam titulus possessionis, qui adhuc erat, desiit, ideo facta, ut debitor, cui foret restituenda, per denegationem restitutionis adigatur ad satisfaciendum officio.

§. 613

§. 613.

Ponit debitum perfectum, liquidumque, & debitoris moram, simulque, ut justo titulo possessio ad retinentem pervenerit.

§. 614.

2) *Retorsio*, si iisdem vel similibus malis alterum adficiamus, postquam nobis nocuit, ut satisfiat ei, quod ob læsionem illatam desiderare possumus. Hæc & poenæ loco adhiberi potest, quo casu ad caput poenarum referenda, & tum *talionis* nomen accipit.

§. 615.

3) *Bellum*, quod est medium, quo debitorem illatae vi quacunque necessaria cogimus, ne officio desit.

§. 616.

Hoc est vel *defensivum* vel *offensivum*. Illud est, quod alteri, qui primus de vi cogitavit, oppositum, scilicet quo in defensionem juris, quod possidemus, utimur, cum offensivum ex aggressione offendentis nominetur, scilicet ab eo adhibeatur, qui juspersequitur, in cuius possessione non est.

§. 617.

Si, poenæ caussa, vis alteri quæcunque ad finem necessaria infertur, id *bellum punitivum* a nonnullis dicitur, quod ad caput poenarum rejiciendum.

De bello justo, & quando sit. Grot. L. 2. c. 23. §. utrumque justum esse posse. 13.

§. 618.

Bellum & retorsio iisdem sub conditionibus tantum sunt permissa, sub quibus retentio. Inter plura autem ius persequendi media, creditoris est elektio, quoniam uti velit.

§. 619.

Si de re danda bellum movetur, creditor rem, quæ ipsi debetur, aut tantum ex aliis, quantum pretio æquat

H 2

rem

rem debitam, aufert, simulque impensarum a se factarum totiusque damni rationem habet.

§. 620.

Si id, quod præstandum a debitore, in faciendo consistit, isque officium injuste detrectat, æquo arbitrio æstimat creditor damnum, ex facti omissione ortum, eamque summam damni nomine aufert.

§. 621.

Si plures creditores solutionem ab eodem debitore simul persequuntur, isque solvendo omnibus non est, dicitur adesse *concursus creditorum*.

§. 622.

In concursu creditorum quæstio hæc potissimum respondenda est, quo ordine creditores solutionem explicant, & quo loco ponendæ singulorum usuræ, quidque de sumtibus concursus tenendum sit. Et sumtus concursus a tota bonorum massa sunt deducendi, quasi primi creditoris loco. Nam quivis & sortem, & si quid sumtuum nomine pro rata ab ipso solvendum esset, a concursu repetendi, præ posteriore creditore, jus habet. Jam si ita quisque & sortem suam acciperet, & partem sumtuum a se ferendorum repeteret, eadem distributionis ratio prodiret, quæ nascitur, si sumtus omnes uno loco ante creditores præcipiuntur. Ipsos creditores inter se ex ordine temporis ponendos esse, quilibet largietur.

§. 623.

Usuræ debentur, si ratio eorum est, etiam durante concursu, usque ad solutionem sortis, & eodem ordine ponuntur, quo sortes, quia originem habent ex debito unde ad æstatem debiti ipsius referendæ sunt.

§. 624.

Qui ex contractu bilateralis jus suum persequi vult, debet prius ex sua parte contractum implevisse, nisi aliud actum esse ex natura contractus appareat.

CAPVT

C A P V T XXXIX.

De societatibus, earumque juribus & obligationibus generatim.

§. 625.

Societas est conjunctio plurium, ad eundem finem constantem conjunctis viribus obtainendum. Hæc vel bona concernit, vel alia commoda. De illa supra actum, hæc spectanda remanet.

§. 626.

Singuli eorum, ex quibus societas consistit, dicuntur *membra societatis s. socii*, oppositi non sociis *s. extraneis*.

§. 627.

Finis societatis, quantum promovetur & feliciter obtinetur, *salus societatis*, aut *bonum commune societatis*, vocatur. Interna ejus constitutio, ad promovendum finem adornata, dicitur *politia societatis*.

§. 628.

Cum societas *integra* pro una persona haberi possit, ad eam omnia applicanda sunt, quæ de juribus singulorum hominum supra dedueta. Sunt tamen & quædam singulalia de juribus societatum observanda.

§. 629.

Obligatio societatis est, quæ *integram societatem* tenet, opposita obligationi singulorum in societate. Illa est vel *originaria* vel *contracta*, prior ex natura societatis derivatur, hæc societati incumbit aliunde non ex ejus natura.

§. 630.

Eodem modo *jus societatis* est, quod *integra societas* habet, quod non minus in *originarium*, & *contractum* dividi potest.

§. 631.

Jus singulorum est vox duplē vim habens. Primo indicat jus, quod singulis membris debetur, non societati

societati integræ. *Deinde* speciatim notat jus, quod potestati societatis non subest, sub eamque vocari nequit.

§. 632.

Si jus societatem concernit, sed singulis est acquisitum, aut origine jus societatis fuit, sed in membrum unum vel plura, ut nomine societatis id exerceant, translatum est, ibi est jus singulorum, hic jus societatis & singulorum simul.

§. 633.

Jus societatis potest exerceri circa jura singulorum, quantum hæc illi subsunt.

§. 634.

Jura & officia societatum originaria origine sunt penes omnia membra societatis conjunctim.

§. 635.

Jura, quæ nulli potestati alterius subesse possunt, sunt jura singulorum secundo sensu.

§. 636.

Jura, quæ imminui, singulorum dampnum, reliquorum autem utilitas est, ejusdem sunt generis cum iis ex §. præc.

§. 637.

Jura, quæ singuli socii habent, & de quibus statui, finis societatis non desiderat, quæ ergo non connexa sunt cum societatis fine, eundem in censum veniunt.

§. 638.

Si vero jus aliquod membrorum generatim potestatis alienæ capax, circa illud ut statuatur finis, societatis postulat, idque nullius commodum peculiare concernit, cui si derogatur, aliis utilitas & lucrum accrescat, tum societati licet potestatem suam circa singulorum membrorum jura exercere.

§. 639.

Societas potest de juribus suis statuere, eaque vel conjunctim ab omnibus exercenda relinquere, vel in pauciores,

ores, vel in extraneum adeo, transserre, & si hoc placeat tum, an eamdem normam in omnibus iuribus suis sequi, an nonnulla sibi reservare, an limites iis a paucioribus exercendis addere, an in perpetuum, an ad tempus, cuiquam deferre, an jus hereditarium in potestate translata concedere velit, arbitrabitur.

§. 640.

Jura omnia societatis, quæ habet, simul comprehensa, potestatis ejus nomen accipiunt, seu regimen dicuntur. Ea potestas, quatenus exercetur erga membra in rebus ad finem societatis pertinentibus, dicitur *imperium* societatis.

§. 641.

Ubicunque est societas, ibi oritur imperium. Nec potest jus dirigendi actiones esse absque societate. Unde imperii fons societas.

§. 642.

Imperium non est jus connatum, nisi in societatibus naturalibus.

§. 643.

Licet inire societatem, & hanc ratione se subjicere imperio.

§. 644.

Libertas naturalis, orto imperio, remanet in iis, quæ ad finem societatis non pertinent, coactioni subesse nequeunt, & generatim ad iura singulorum altero sensu referenda sunt. Redit, soluto nexu societatis, et ubi ab hac recessere licet.

§. 645.

Jus necessitatis, & exercenda in hoc libertas naturalis, non tollitur quidem orto imperio, attamen non licet salutem suam præferre saluti societatis in rebus, quæ vere societatis imperio subsunt.

§. 646.

Ex imperio fluit jus puniendi socium, imperio non parentem, aut saluti societatis illicite detrahentem, quod est jus *puniendi contractum*.

§. 647.

Contra eum, qui in societate est, præter modos persequendi jura, alias extra rempublicam applicandos, oriatur peculiaris adhuc modus, scilicet per imperium societas debitorem adigendi ad officium in iis, quæ huic imperio subsunt.

§. 648.

Cum societas jus habeat, normas constituendi, fini suo inservientes, quæ ergo sola voluntate constituantur, hæ, semel constitutæ, intuitu singulorum membrorum sunt veri nominis *leges*, licet forsitan per conventionem sint conditæ.

§. 648. b.

Socius facere debet, quæ finis societatis & conventionio exigunt, jura priora amittit, quæ cum societate stare non possunt, & acquirit nova jura, obligationibus scilicet reliquorum ex societate respondentia.

§. 648. c.

Tot et tales socii sunt necessarii, quod & quales ad finem societatis sufficiunt.

C A P V T XXXX.

De muneribus in societate obviis.

§. 649.

Officium in societate est jus, a societate concessum, certas regiminis partes nomine societatis exercendi. Potest esse vel perpetuum vel revocabile

§. 650.

Directio societatis est jus ea, quæ faciunt, ut negotia communia a societate expeditius geri possint, curandi & agendi.

§. 651.

Directio est officii species, sive mandatarius societas revocabilis sit director, sive jus proprium habeat in perpetuum & irrevocabiliter concessum

§. 652.

§. 652.

Directio numquam confundenda cum imperio & potestate societatis.

§. 653.

Jus constituendi ministros, eos removendi, officii normas & limites ponendi, rationes ab iis exigendi, mercedesque laborum decernendi, officio suo non satisfacientes, aut perfide agentes, puniendi, est jus societatis.

§. 654.

Jura potestatis in generalia dispesci possunt & specalia. Illa per omnes partes salutis communis exerceri possunt, hæc tantum in certis ejus partibus.

§. 655.

Ad generalia jura referuntur, jus leges statuendi, abusus corrigendi, quæ jura nonnulli *poteſtatem rectoriam*, visitandi, rationesque exigendi, quæ jura *poteſtatem inspettoriam*, ministros constituendi, exequendi, cum aliis paciscendi, cum iis congregandi, puniendi, conventus agendi, quæ omnia *poteſtatem executoriam* dicunt. Specialia jura différunt secundum societatum varias species.

§. 656.

Officia distinguuntur in *principalia* & *minus principalia*. Illa alterius officii cauſa, ut huic inserviant, non adſunt, hæc ideo adſunt.

§. 656. b.

Membra societatis dividuntur in *vulgaria* & *non vulgaria*. Illa sunt, quæ, præter membra qualitatem, aliam in societate personam non habent.

§. 656. c.

Non *vulgaria* sunt ministri, directores, rectores s. imperantes in societate.

§. 656. d.

Est autem *revisor* societatis s. *imperans*, is ex membris, in quem potestas societatis a reliquis est collata. Si plures

H 5 sunt,

sunt, qui imperantium personam sustinent, hi vel divisi habent partes potestatis, tum singuli sunt *imperantes divisi*, aut potestatem habent in communione, seu *coimperantes* sunt, aut partem potestatis habet imperans, reliqua sibi reservavit multitudo, aut imperans in exercenda potestate a latere habet, quorum consensum exigere debet, tam est *imperans imperfectus* s. *limitatus*.

C A P V T XXXXI.

De societatum speciebus.

§. 657.

Societates sunt vel *naturales*, vel non *naturales*, illæ *immediate ex lege*, hæ ex conventione conjunguntur.

§. 658.

Sunt vel *aequales* vel *inæquales*. Illæ sunt, ubi omnium membrorum societatis, intuitu potestatis, paria sunt jura, hæ, ubi *disparia*. *Aequales* vel sunt *cum potestate vel sine potestate*, priores habent potestatem civilem sibi insitam ita, ut omnes eam participant, posteriores eam ita in alium, qui membrum non est, transtulerunt, ut *ne-
mo membrorum eam exerceat*.

§. 659.

Sunt vel *simplices* vel *compositæ*. Illæ, quarum membra sunt homines singuli, hæ, quarum membra sunt aliae iterum societates subordinatæ. *Compositæ*, quarum membra sunt societates compositæ sibi subordinatæ, dicuntur *majores*, si membra sunt societates simplices, *minores*.

§. 660.

Societas, quæ plora quam duo membra habet, dicitur *collegium*. Societas, composita ex collegiis, dicitur *cor-
pus*. Sed verba valent sicut numini.

§. 661

§. 661.

Si plures societas simplices se, communis finis perdurabilis obtinendi causa, conjungunt, nascitur societas composita.

§. 662.

Possunt esse inter socios unius societatis conjunctiones, quæ illam societatem ideo non faciunt compositam, et ideo in societate composita possunt esse, præter eas, quæ compositam faciunt, aliæ ex quibus societas eadem composita diei neqnit. Nec, si omnia unius societatis membra sunt alio intuitu etiam in alia societate, inde societas composita oritur.

§. 663.

Sunt etiam societas vel perpetuæ vel temporariæ, licite vel illicitæ.

§. 663. b.

Societas illicita, quæ officia perfecta erga alios non lœdit, extra rempublicam jure stricte ab alis toleranda, nec hi per vim se ei opponere possunt.

§. 664.

Omnis societas conventionalis in dubio est æqualis, & cum potestate, donec probetur alia qualitas. Naturalis paterna est inæqualis.

C A P V T XXXXII.

De conventibus, suffragiis & conclusis in societate aquâ.

§. 665.

Societas æqualis ad exercenda potestatis jura opus habet conventibus, ubi conclusa fiant ex suffragiis singulorum.

§. 665. b.

Conventus societatis est congregatio sociorum in uno loco habita, negotium societatis expediendi causa. Conclusum

fum societatis est voluntas societatis ex sociorum suffragiis collecta. *Suffragium* est voluntas socii, conclusi condendi causa proleta.

§. 666.

Jus indicendi conventus, proponendi, suffragia colligendi, conclusa ex iis colligendi eaque exequendi, pertinet ad directionem.

§. 667.

Suffragia sunt vel *virilia* vel *curiata*. Posteriora sunt plura suffragia, quae pro uno habentur, ideo quoniam simul sumta æquipollent suffragiis. singulis aliis in eadem societate editis.

§. 668.

Sunt porro vel unanimia vel dissentientia. Hic vel paria vel disparia, ut numerus dissentientium sibi oppositus vel æqualis vel inæqualis est, ita ut ex una parte sint *majora*, ex altera *minora*. Majora sunt vel *absolute* vel *respectively* majora. Illa, quæ numero prævalent, si totius societatis suffragia numerantur, hæc, quæ vincunt numero, si conjungantur inter se, qui singulis reliquarum sententiarum favent.

§. 669.

Sunt vel *simplicia* vel *composita*, ut ad plures positiones reduci nequeunt vel possunt.

§. 670.

Suffragium decisum vel opponitur consultativo, quod est tantum consilium, cum contra ea decisum perfecte obliget, vel est suffragium, quod, ubi alias paria essent, præponderat, suffragium commune est, de quo plures, qui suffragia virilia habent, inter se convenerunt, ut communè nomine proferatu *suffragia saniora* sunt, in quibus plus rationis est, *suffragium negativum* est jus, quo quis voluntate sua declarata tantum impedire potest id, quod aliis erat propositum, non vero quidquam ipse potest efficere.

§. 671.

Jus suffragii est jus, vi cuius voluntas alicujus in concluso condendo audienda & numeranda.

§. 672.

§. 672.

In societate æquali quodvis membrum suffragium habet, & singulorum suffragia sibi pondere æqualia sunt.

§. 673.

In negotiis, ubi unius vel alterius socii speciatim interest, ille jure suffragii destituitur. Potest quoque in aliquo negotio juri suffragii suo socius speciatim renunciare.

§. 674.

Eum, qui ad conventum non accedit, licet vocatus, ideo juri suffragii in ea re renunciare, certo dici nequit, licet optimum sit, talem legem in societate stabilire, ut, qui non adit conventum, non numeretur.

Wolf. J. N. Tom. 7. §. 108.

Qui absens est, ejus in votis numerandis nulla habenda ratio est. Puffend. J. N. &

G. L. 7. c. 2. §. 19. distinguunt inter quotidiana, moram non ferentia, & relatio qua negotia.

§. 675.

Suffragia numerantur, si spectatur, quænam sint majora; ponderantur, si aestimatur, quænam sint ianiora. Conjunguntur, quæ inter se convenientia deprehenduntur, separantur, quæ dissidentia.

§. 676.

Ut uno spiritu omnes suffragia ferant, rationis non est, sed aptius erit, si unus alterum in dicenda sententia sequitur, nisi omnium ita unanimis sit consensus in unam sententiam ab aliquo jam dictam, ut inaniter tempus insumeretur uniformi ejusdem opinionis repetitione in singulis. Ordo dicendi jure naturali non definitus.

§. 677.

In computandis suffragiis composita sunt revocanda ad singulas positiones, & ea, quæ sibi respondent, sunt conjungenda.

§. 678.

§. 678.

Suffragia ferri possunt vel in conventu vel extra conventum, quod *extracollegialiter* fieri dicunt. Utrumque ejusdem est efficacie, melius tamen in confessu consiliatur, quam a quovis domi suæ sententia dicitur; quod scient, qui ejus rei experti.

§. 679.

Si conventus in societate habendus, membra societatis possunt vel ipsi, vel per alium, ei interesse, isque ut societatis membrum sit, non abscisse requiritur. Si frequens adest confessus, director proponit, tum feruntur suffragia, denique concluditur.

§. 680.

Ut conclusum legitime fiat, necesse est, omnes convocari, vel sententiam rogari, qui suffragii jus habent. Ubi statim sunt conventus, convocatione non opus est.

§. 681.

Si suffragia unanimia feruntur, justum conclusum adest.

§. 682.

Si dissident suffragia & in unam sententiam major pars consentiat, plerumque & hic conclusum adesse statuunt. Id solent ex natura personæ moralis derivare, in qua unitas est, & cuius singula suffragia sunt instar singularium rationum, quæ inter deliberandum homini huic mystico occurrent. Quam in partem plures impellunt rationes, eam sequitur homo. Sed obstat, quod personæ moralis notio mera sit fictio, ex qua argumentum non trahendum. Præterea homo sanus non sequitur rationum numerum, sed pondus. Mihi ergo contrarium videtur ideo, quia singularum socrorum paria & æqualia sunt iura, & cujusque suffragium ejusdem est ponderis. Jam si centuma suffragia ex una parte & unum ex altera, hæc se nihilominus pondere æquant, quia illa suffragia sunt tantum singularum hominum, & singularum sententiae semper

per manent, nec mutantur in unum suffragium, tanta pondera complexum, quod nova foret fictio. Cum porro singuli in potestate exercenda partem habeant, quomodo cognosci potest hæc singulorum pars, si voluntas pauciorum plane non attenditur? An unus socius alteri se subjecit? Neutquam, sed tantum societati. Jam plurimi ex societate sunt hee societas? Certe non sunt, alias reliqui ad societatem non pertinerent. Inde, dicet consultum sit, talem legem inter se fancire, ut, quæ majori parti placuerint, pro voluntate omnium habeantur, absque tali tamen lege idem dicendum esse, ægre mihi persuaserim.

§. 683.

Si statutum, ut major pars decidat, tum non respetive, sed absolute, majora suffragia intelligenda, nisi aliud clare expressum. Sunt, qui contrarium ideo censem, quia suffragiis respetive majoribus paucissima alia refrigerantur. Sed tenendum, paucissimos illos esse simul plurimos ex societate. Jam quomodo potest consistere sententia; cui plurimi ex societate se opponunt. Si regeris, illos plurimos esse tamen patriciores illis plurimis, qui alii sententiæ resistunt. Respondeo, hoc nil ad rem pertinere, quia si numerus sociorum ultra dimidiam partem procedens in alia omnia iverit, perinde est, sive hæc dimidia pars multum sive parum superetur.

Wolf. J. N. Tom. 7. §. 79.
80. *Majora concludunt &*
quidem. §. 95. 96. respetive *majora.* Melius docet Pufend. J. N. & G. L. 7. c. 5
§. 20.

§. 684.

Si suffragia utrumque sunt paria, conclusum non sit. Ergo nihil agitur, quod dicitur Calculus Minervæ ex fabula, donec alia exequendi via inveniatur. Votum decisum, natura ignotum, conventione potest concedi.

§. 685.

§. 685.

Si conclusum condi placuit, etiam ubi suffragia unanimia non sunt, sed plurima tantum in unam sententiam inclinant, tum numeranda merito sunt suffragia, non ponderanda.

§. 686.

Inter ferenda suffragia, licet iis, qui sententiam jam dixerunt, si aliorum rationes graviores invenerint, sententiam mutare, & in partem adversam transire. Unde conclusum condi nequit, nisi auditis omnibus.

§. 687.

Possunt etiam conclusa, semel jam condita, iterata deliberatione sub examen vocari, & per alia suffragia majora, prioribus contraria, everti, nec requiritur ut omnes ii, qui prius ad majorem partem pertinebant, sententiam mutaverint.

§. 688.

Majoris partis suffragiis non subest quicquid generaliter potestati societatis non subjacet

§. 689.

Si, in societate, certi generis membra iterum peculiarem societatem constituunt, quæ prioris societatis potestati non subest, tumque hujus generis membra ad societatis suæ jura provocant, & suffragia se lata ut suæ societatis peculiaris sententiam spectari volunt, ad impedierandam vim majorum suffragiorum, quæ alias ipsis obesserint, oritur *itio in partes*.

§. 690.

Si in alicujus commodum conditum est conclusum, isque jus hoc modo sibi delatum acceptavit, nascitur pactum, & jus hominis quæsum, quod pro natura pacti irrevoicable est.

§. 691.

Leges societatis æqualium sunt conventionales, &, si politiam et regimen societatis concernunt, dicuntur *fundamentales*.

CAPVT

CAPVT XXXIII.

In societate inæquali.

§. 692.

Societas inæqualis potest vel omnia jura sua in unum aut pauciores detulisse, vel nonnulla sibi reservasse, unde est vel *perfecte inæqualis* vel *ex parte inæqualis*. Est & vel *limitata* vel *illimitata*. Ibi limites positi sunt potestati pauciorum, hic secus

§. 693.

In societatibus inæqualibus, ubi tamen potestas ad pauciores collegium constituentes transiit, aut ubi ex parte tantum est inæqualitas, aut ubi jura imperantis sunt limitata, ibi conventus, suffragia & conclusa occurunt, ut in æqualibus, danturque iisdem casibus leges fundamentales, quæ per modum paeti inter unum, aut pauciores, potestati præpositos, & reliquos socios conduntur.

§. 694.

Si pauciora societatis membra, nonnulla aut omnia jura societatis ita exercent, ut quod hæc membra, quæ collegium aliquod constituant, concludunt ac nomine, societatis agunt, ejusdem effectus sit, quasi omnia membra societatis egissent, tale *collegium* dicitur *repræsentativum*. Hoc igitur semper adest, ubi societas est inæqualis, in qua sunt plures, qui potestatem per modum collegii administrant.

§. 695.

Collegii repræsentativi tam vocabulum synonymon, quam species, est deputatio. Plerumque deputationes temporariæ sunt, certa tantum negotia nomine omnium curant, reliquis rationem reddunt, & quæ fecerunt, omnium approbationi subjicere tenentur.

C A P V T XXXIV.

In societate composita.

§. 696.

Corpora possunt vel eundem finem habere, quem habent collegia, ex quibus sunt composita, modo majori ambitu, vel alium finem a finibus collegiorum diversum.

§. 697.

Collegium, in quo sunt deputationes, ideo non est corpus.

§. 698.

Conventus corporis possunt consistere vel ex omnibus membris collegiorum, vel ex nonnullis tantum, quae reliquos repræsentant, unde vel veri vel repræsentatitii sunt.

§. 699.

In conclusis corporis condendis vel collegia habent vota virilia, vel curiata, & ubi singulorum collegiorum specialiter interest, oritur jus singulorum collegii, obtinere potest itio in partes, & ferri suffragium commune.

§. 700.

Si suffragia collegiorum in corpore sunt curiata, singula conduntur per conclusum collegii.

§. 701.

In corporibus dantur directores ad directiones corporis, & directores singulorum collegiorum.

C A P V T XXXV.

De modis, quibus societas ejusque membra oriuntur & desinunt.

§. 702.

Oritur societas vel ex lege vel ex pacto. Tollitur vero per mortem, si in heredes non directa, quod in societa-

cietatibus personarum factum non intelligitur, 2) fine obtento, 3) si finis obtineri amplius nequit, 4) mutuo dissensi, 5) casu quo' alius invito altero recedit & recedere potest ex indole pacti aut conjunctionis, 6) tempore, ad quod inita, elapso.

§. 703.

Membra societatis, quæ tempore ortæ societatis eam ingrediuntur, dicuntur originarie ad eam venire, reliqua, quæ postea accedunt, recipi.

§. 704.

Membra recipiendi & excludendi jus est jus societatis.—

§. 705.

Nemo cogi potest, ut ad societatem aliquam novam, aut jam constitutam, se conseruat, aut in ea permaneat, sicque potest recedere, nisi aliud conventum.

§. 706.

Imperantis, directoris, & ministrorum constitutio pertinet ad jura societatis.

§. 707.

Socii hac qualitate excidunt, 1) dissoluta societate, 2) recedendo. Intempestiva recessio non valet. 3) exclusione.

§. 708.

Pendet a societate, an aliquem a societate excludere velit, nisi pacto aliter conventum. Pactum tamen nec impedit exclusionem, si justæ causæ a pacto recedendi interveniant.

§. 709.

Imperans, director, minister, possunt removeri, si in perpetuum non adsumti, aut, etsi ita adsumti, est tamen justa a conventione, qua constituti sunt, recedendi causa. Eodem modo hi possunt renunciare officio suo.

C A P V T XXXVI.

De societatis paternæ indole.

§. 710.

Societas inter generantem & generatum, cuius finis est educatio, dicitur *paterna*. *Educatio* autem est cura, ut is, qui propter ætatem immaturam suis commodis ipse consulere non potest, eo perducatur, quo, ut hominem oportet, se aliquando ipse dirigere, sibique prospicere possit.

§. 711.

Ii, qui liberos generarunt, sive id ex congressu licito sive illico sit, tenentur ad eos, quos procrearunt, alendos & educandos, quia in causa sunt, quod hi alimentis & educatione indigeant.

Grot. tantum ex honestate deducit debitum parentum, liberis de alimentis providendi.

§. 712.

Officium educandi & alendi est matris & patris æquale, iisque deficientibus, remotiorum adscendentium. Eorum autem, qui ex latere conjuncti sunt, perfecta obligatio ad alendum nulla est.

§. 713.

Societas paterna est societas naturalis, facitque vinculum partim inter liberos & parentes, partim inter parentes inter se.

§. 714.

Societas inter parentes est æqualis, & si uterque parent vivit, duorum, his deficientibus, remotiorum adscendentium etiam plurimum.

CAPVT

C A P V T XXXVII.

De officiis & juribus parentum.

§. 715.

Proprio lacte alendi liberos officium, et si interdum ethicae convenire possit, Itius tamen docere nequit.

§. 716.

Societas inter parentes & liberos cum quovis liberorum repetita est, & est inaequalis, quia parentes soli potestatem exercent.

§. 717.

Patria potestas est jus parentibus vi generationis in liberos educationis causa competens.

§. 718.

Officium educandi parentibus omnino tribuit jus ea faciendi intuitu liberorum, sine quibus educatio curari nequit. Hinc parentes jus habent, 1) actiones librorum ita dirigendi, ne sibi noceant, ut tolerandæ vitæ aduerscant, & sani integrique adolescent, 2) operas, partim formandi ingenii corporisque caussa, partim ut compensentur sumptus educationis, exigendi. Si liberi patrimonium habent parentibus jus est, 3) id administrandi, 4) sumptus educationis inde petendi.

C A P V T XXXVIII.

De ortu & interitu hujus societatis & acquirendis ac tollendis parentum juribus & officiis.

§. 719.

Dissolvitur societas parentum, si vel ad unum parentem, ob decepsum reliquorum, redigitur, vel educatio est finita.

§. 720.

Excludi hic nemo sociorum ab altero potest, nec alteruter a continuanda societate recedere.

§. 721.

Patria potestas solvitur finita educatione, cuius terminus certus generatim adsignari nequit, item morte parentum vel liberorum. Sed exclusioni & recessui nec hic, ubi de societate inter parentes & liberos agitur, locus est.

§. 722.

Oritur societas paterna, & potestas, generatione & adoptione. *Adoptio*, qua is, qui non generavit, genitoris vices in educando suscipit, cum consensu parentum, aut his defientibus, omnino fieri potest, tribuitque tum eadem jura adoptanti, quae parentes habent, quoniam & onera eorum subit.

Wolf. J. N. Tom. 7. §. 530.

Si vidua ad secunda vota transit, novus maritus educationis liberorum ex priore matrimonio natorum curam gerere, & nisi propria bona

habeant, vel mater de suo sumitus educationis sustentare valeat, sumitus quoque in educationem facere tenetur. Idem valet de viduo ad secunda vota transiente.

C A P V T XXXIX.

De tutela & cura.

§. 723.

Tutela, quae est officium, actiones eorum dirigendi, qui sibi ipsis per aetatem nondum sufficiunt, & parentibus orbati sunt, est meri arbitrii & humanitatis, nec ea facile ab adoptione jure naturali distinguitur, nisi forsitan eum, qui in subsidium ipse sumptus educationis suppeditat, adoptatorem, eum, qui ex propriis nil consert, tutorem nominare velis.

§. 724.

Parentes decedentes possunt constituere liberis tutorem, qui, si vult onus tutelae subire, excludit alios. Nullo tuteore a parentibus constituto, potest quilibet, quem humanitas tangit, indefensae aetatis custodiam suscipere.

§. 725.

§. 725.

Cura furiosorum aliorumque similis conditionis hominum, qui rebus suis superesse nequeunt, non minus ad parentes pertinet. His deficientibus, aliorum ab humanitate pendet, an istorum miserorum defensionem subire velint, quod potest quilibet cordatus & honestus, habetque tum omnia jura & officia, quae conditio talis hominis ejusque necessitas postulat.

Wolf. J. N. Tom. 7. §. 909.

Si tutelam tutor, bona curandi curator, bene administravit, nec tenue sit patri-

monium pupillo vel curando, naturaliter tutori honorarium debetur, non tamen exigi potest.

C A P V T . L.

De societate conjugali.

§. 726.

Societas conjugalis est societas inter virum & foeminam, cuius finis est usus veneris humanus, nulli officio perfecto inter homines contrarius.

§. 727.

Societas conjugalis ita ineunda, ut, si prolis generatio inde sequatur, siboli non noceatur, sed in promptu sint, quæ ad eam alendam & educandam requiruntur.

§. 728.

Societas inter virum & foeminam licita extra rem-publicam jure perfecto est, et si vel vir ad generandum, vel foema ad concipiendum, non adeo idonea esse videatur, &c. si pars altera id vitium ab initio sciverit, valida quoque est.

§. 729.

Si foema cum viro ad societatem conjugalem se uniat, & tum, maritum impotentem esse, aut hic illam ad congressum aut ad generationem ineptam, deprehendat, potest deceptus deceptave a societate recedere.

§. 730.

Conjux conjugi, quorum uterque ad generandum capax, potest denegare omnem congressum, qui ita suscipitur, ut pro lis generatio data opera impediatur.

§. 731.

Conjux conjugi potest detrectare omnem congressum, qui sanitati sua nocet.

§. 732.

Officium hominis ad ineundum matrimonium & generandum ICTus non docet, sed morum & honestatis præceptor. Alias, si perfecta hominis ad hæc obligatio doceatur, verendum esset, ne alter, cui lubet, perfectum jus ad congressum sibi tribuat, & stuprum violentum sibi permisum putet.

§. 733.

Jus ad matrimonium ineundum quilibet habet, qui invenit conjugem, cum eo hymenis sacra non respuenterit, & quando potens cum potente congridetur, in promptu habet, quæ ad educationem, si forsan secundum fuerit matrimonium, necessaria sunt.

§. 734.

Jure naturali matrimonium ab aliis congressibus veneris non discernitur, nisi eo, quod inter virum & foemina sit coabitatio, & hæc quidem nulli officio perfecto contraria. Alia signa discriminis hoc jure ignorantur.

§. 735.

Sponsalia, quæ sunt pactum de habendo matrimonio, ante adhibitam matrimonii formam, initum, jure naturali a matrimonio discerni nequeunt, quia ignoratur forma matrimonii.

Wolf J. N. Tom. 7. §. 379.

Si ad sponsalia posteriora accedat copula carnalis, priora dissolvuntur. §. 406. *Si quis*

a sponsalibus pœnalibus recedere vult; recedere licet, nec parti alteri ultra pœnam ad quidquam tenetur.

§. 736.

§. 736.

Paœta dotalia s. nuptialia, quæ jura conjugum futura specialius determinant, iure naturali non sunt necessaria, quia leges naturales eadem jura jam satis definiunt.

§. 737.

Unum virum cum pluribus uxoribus simul in matrimonio vivere posse, plerique negant, sicquæ polygamiam illicitam esse statuunt. Rationem petunt, 1) ab æquali foeminarum virorumque, qui generantur & eodem tempore vivunt, numero, qui non patitur, ut putant, ut uni viro plus una muliercula cedat, nisi injuriæ adversus alios viros, juxta se viventes, & Caja sua adhuc destitutos, reus esse velit, 2) a jurgiis & simultatibus, quæ non possent non oriri inter gregem mulierum, noctes inter se ægre dispertientem, 3) a nutu naturæ, quem in aliquibus animalium generibus deprehendimus, quæ singula singulis junguntur. Sèd prima ratio apud ICTum nihil efficit. Nemo virorum habet jus perfectum, quo sibi deposcere posset uxorem, quæ alii vult nubere, aut alias cælibatum eligere. Nec omnes viri ad educandam & alendam problem opes habent, ut ad matrimonium accedere possint, nec omnes ambient matrimonium, qui possunt. Nec forsitan expedita est illa, quæ tamen momentum non facit, utriusque sexus in numero æqualitas. Altera ratio magis ad ethicam partinet, quam ad ICTum. Omnis societas est mater rixarum, & societas conjugalis inter plerosque sine jurgiis non est. Inde omnis societas, & omne conjugium, forent illicita. Abusus non tollit usum. Potest provideri, né hæ altercationes oriatur, aut saltim non noceant. Præterea officium perfectum hominis non est, juria inter alios cavere, aut deprimere. Tertia ratio infirmissima. Homo ratione dicitur, animalia sequuntur stimulos. Officitur hominis dignitati, si ad hos doctores illum ablegamus, cum quibus nihil ipsi commune, nisi & ipsum ex stimulis agere velimus. Deinde variat, ut concedunt hi philosophi, ad pecudum subsellia discenden-tes, animalium œconomia, cum multa etiam promiscuam libidi-

libidinem ament. Cur ab uno potius, quam altero, genere discendum sit, ratio non redditur. Si itaque ea, quæ morum doct̄or monere potest, prætervehim̄us, hominemque & ad multos liberos educandos satis instruētum ponimus, qui & possit, ubi opus, alios præficere, pro educatione omni cum diligentia excubaturos, si porro uxor, cum qua matrimonium forsan jam initum, jus ex pacto quæsitum non habet, quo sibi soli vir debetur, non videmus, quid ICtus contra polygamiam dicere possit. Non curamus, quid in republica consultiū statui possit a legislatore, de qua re infra agetur.

§. 738.

De unius foeminæ cum pluribus maritis eodem tempore viventis matrimonio si queritur, vix illud tolerabit honestatis suasor. Sed ICtus extra rempublicam officiis perfectis contrarium dicere nequit, si hi viri inter se concordes sunt cum foemina, & ita res suas instruunt, ne siboli conceptæ noceatur, &, ubi liberi generantur, vel quisque alit & educat, quem sūm esse cognoscit, vel ubi dubium est, cum reliquis communiter educationem curat. Sed quis hæc toleraret in republica?

§. 739.

Qui patriæ potestati, tutelæve subsunt, vix absque parentum aut tutorum consensu nuptias inire possunt.

§. 740.

Gradus prohibiti cognitionis jure naturali ignoti, etiam inter adsc̄endentes & descendentes. Inter hos permulti interdicunt nuptias ea de caussa, quod confusio officiorum oriatur, & v. g. filius matri reverentiam debeat, cum quā ergo non possit in ejusmodi societate vivere, quæ reverentiam tollit. Sed ICtus respondebit, 1) reverentiam pertinere ad jus ejus, qui eam exigere potest. Hunc ei posse renunciare, quo facto impedimentum inde proveniens tollitur. 2) reverentiam esse officium imperfectum,

ex

ex grata educationis memoria descendens, hujus autem generis officia non pertinent ad forum. 3) negandum, reverentiæ matrimonium honestum obesse, nec ignotas esse plures alias conjunctiones, ubi is, qui mihi subest, alio intuitu me iterum sibi adeo subiectum habet, nedum æqualem.

CAPVT LI.

De juribus & officiis conjugum.

§. 741.

Potestas conjugalis, quæ est complexus jurium societas conjugalis, alterutri conjugum propria non est, sed penes utrumque conjugem conjunxit.

§. 742.

Conjux actionum conjugis habet directionem eatus, quatenus debita conjugalis congressus præstatio, & si liberi adsunt, horum communis cura desiderat, sed cæterum nec in bona, nec in actiones conjugis jus habet, nec tenetur alter conjugum alterum alere.

Wolf. J. N. Tom. 7. §. 945.

Si maritus bona uxoris proprio nomine administret, bona ipsius tam præsentia, quam futura, pro iisdem

uxori oppignorata sunt naturaliter, minime vero si ipsam et ea per maritum suo nomine administret.

§. 743.

Si quis in matrimonio vivit, nec statim initio conventum est, quod cum pluribus aliis adhuc communionem sibi reservet, videtur id actum, ut solus cum sola vivat, unde, sine laetione alterius conjugis, non licet alteri aliasve in pellicatum superinducere.

CAPVT

C A P V T LII.

De finienda societate conjugali.

§. 744.

A matrimonio recedi potest, 1) mutuo dissensu si liberorum educatio aliud non suadeat, 2) ob alterius perfidiam, debiti conjugalis denegationem, mores intolerandos, furorem, impotentiam, etiam supervenientem, generatimque clausulam, rebus sic stantibus. 3) Etsi nulla adsit singularis causa altero invito recedendi, si tamen liberorum educatio non obstat, nec de certo tempore coabitando conventum est, jure naturali, quando lubet, alteri ab altero discedere permittitur.

C A P V T LIII.

De societate herili.

§. 745.

Societas herilis est, cuius finis est praestatio operarum unius, & alimentorum, quae hic ab altero ideo accipit, Qui alimenta præstat, herus, qui operas, serviens dicitur.

§. 746.

Herus vel habet dominium servientis, vel securus. Ibi dicitur *dominus*, &, qui ei subest, *servus*. Hic serviens dicitur, *mercenarius*, *famulus*, *domesticus*.

§. 747.

Dominium servi non omnino convenit cum domino aliarum rerum & animalium, & nihil est, nisi jus perpetuum atque illimitatum omne commodum ex servo percipiendi, quod salva humanitate ex eo percipi potest.

§. 748.

Potestas herilis est complexus jurium, quae exercentur in societate herili ad finem operarum obtinendum. Hæc, ubi herus est dominus, dicitur *potestas dominica*.

§. 749.

§. 749.

Potestas herilis unice est penes herum, unde societas hæc est inæqualis.

§. 750.

Jura inter dominum & servum explicanda ex natura dominii, non vero ejus, quod circa res aut pecudes exercetur, sed quod cadit in hominem. Inter herum & mercenarium conventio jus determinat.

§. 751.

Dominus potest servum donare, vendere, permuttere, fugientem perseQUI & retrahere. Sed quod servus nihil proprii habere possit, & quicquid acquirit servus, id omne sit domini, ex potestate dominica non sequitur.

§. 752.

Servus fit, 1) per liberam addictionem in alterius dominium, quæ homini permissa, 2) per bellum & captivitatem, tum demum, si alio leniore modo non possum me ab hoste tutum præstare, 3) ob æs alienum, si alio modo creditoris satisficeri nequit.

§. 753.

Plerumque 4) statuunt, etiam per nativitatem a matre ancilla prolem ingenitam habere servitutem, quia plus juris in liberos transferre non posset mater, quam ipsa habet, quodque conventio cum parentibus inita, de agnoscenda servitute, habenda sit realis, ex natura aliarum conventionum. Sed mihi id non placet. Libertas est ingenitum cuvis a natura bonum. Ergo cuiusvis hominis res singularis est, non pendens ab alieno arbitrio. Unde parentes suæ quidem, non vero liberorum, libertati potuerunt renunciare. Non accipiunt liberi libertatem a parentibus. Accipiunt a nativitate, ab humanitate, a natura. Sibi ergo eam debent. Unde rationes contrarie supra expositæ hue non quadrant.

Grot.

Grot. L. 3. c. 14. §. 8. ita: Si parentes suo delicto paenam mortis erant meriti, poterunt eorum posteri, qui

sperabantur, ad vitam servandam obstringi servitio, quia alioqui existiri non fuerant.

§. 754.

Servitus tollitur, 1) per manumissionem, quae est declaratio domini, qua servum a sua potestate liberat, 2) per mortem servi, 3) per abusum potestatis dominicae 4) si alimenta non accipit servus.

§. 755.

Mercenarii officium desinit, 1) per ejus mortem, ita ut conventio hic in heredes non transeat, 2) iis modis, quibus conventiones tolluntur.

C A P V T L I V.

De familia.

§. 756.

Domus & familia est societas, ex paterna, herili & coniugali, vel saltim harum duabus, mixta, cuius finis est ex fine singularum harum societatum compositus.

§. 757.

Familia oritur, si adunam trium societatum membrorum altera accedit, & dissolvitur, si ex duabus aut pluribus una tantum aut nulla remanet.

§. 758.

Imperium in familia ita moderandum, ne una societatum, quae eam constituunt, alteri impedimento sit, aut una confundatur cum altera.

§. 759.

In familia servi, mercenarii, & liberi parent, conjuges autem, qui herile jus habent, & parentes, exercent imperium in familia.

CAPVT

C A P V T L V.

De jurisprudentia civili & criminali.

§. 760.

His itaque genratim cognitis, descendendum ad singulas juris scientiae partes, quæ extra rempublicam esse possunt, & Icti discernere solent.

§. 761.

Jurisprudentia civilis quæ continere posset, ea omnia jam supra pertractata sunt, ut nihil remanserit eorum, quæ ad hanc partem pertinent. Criminalis non minus penitus est absoluta his, quæ supra de læsionibus & delictis commodo loco tradita sunt, unde & hac parte nunc possimus supercedere. Remanet ergo tantum feudalis & ecclesiastica, quarum illa ad argumentum pactorum, haec ad locum de societatibus referri potuisset, sed, quoniam amplitudine reliquas ejus loci materias multum excessisset tractatio ibi inserita, commode ad hunc locum separatum rejecta est.

C A P V T L VI.

De jure feudali & feudo.

§. 762.

Feudum est res, cuius dominiam utile alteri concessum, sub conditione peculiaris fidei, dominii feudalis causa præstandæ.

§. 763.

Fides hic est complexus officiorum, eorum præferuntur, quæ in altero non lœdendo, læsionibus ab eo avertendis, & utilitate ejus promovenda, consistunt. Dividitur in fidem ministerialem, feudalem & subditi. Prima ab officialibus præstanta est in rebus ad officium suum pertinentibus, ultima a subditis in omnibus, quæ publicum commodum tangunt, media a reliquis eo distinguitur, quod ipso jure ex possessione feudi & dominio feudali oriatur, ad certum officium non sit adstricta, ejus latitudinis tamen non sit, cuius est fides subditi.

§. 764.

§. 764.

Res, quæ feudum non est, dicitur allodium

§. 765.

*I*s, qui habet dominium feudi directum, dicitur *dominus feudi*, qui utile, *vasallus*. *Nexus feudalis* est obligatio mutua inter dominum & vasallum ex qualitate feudi orta.

§. 766.

Bona hominis habentur pro alledio, non pro feudo, donec probetur contrarium.

§. 767.

Non obstat feudi vinculum, quominus vasallus libere possit statuere de fructibus & possessione feudi. An etiam de dominio directo dominus, de utili vasallus, decernere possit, quæstio est, quam aliqui negant. Ego affirmaverim, quia hæc jura ad alterutrum solum pertinent, altero ab iis penitus exclusò.

§. 768.

Feuda non sunt juris connati, sed contracti, & demum investito dominio constitui potuerunt.

§. 769.

Præter essentialia, feuda solent habere sua naturalia, quæ consuetudo determinat. Hinc divisio feudorum in *propria* & *impropria*. Illa naturalibus instructa, hæc destituta.

C A P V T L V I I .

• *De investitura.*

§. 770.

*I*nvestitura feudalis est traditio feudi vasallo facta a domino. Hæc jus confert vasallo, non semper possessionem, nisi cum possessionis translatione & apprehensione sit conjuncta. Unde distinctio investituræ in propriam & abusivam, quarum illa est, quæ translationem possessionis habet annexam, hæc, quæ secus. Abusiva nihil novi tribuit, quod non ante eam jam adfuisse.

§. 771.

§. 771.

Investitura est vel immediata vel mediata. Hæc sub alterius investitura est comprehensa, cum ita investitus nec ipse, nec per alium ut mandatarium, investitum acceperit.

§. 772.

Investituræ in puram & eventualem divisione jure naturali non facile admittenda, cum eventualis a nuda promissione feudi non differat.

§. 773.

Si pluribus, in communione, investitura immediate confertur, oritur investitura simultanea, quæ vel eodem tempore, vel diversis temporibus, pluribus tribuitur.

§. 774.

Simultaneæ investiti vel omnes & singuli fructum & exercitium dominii utris una accipiunt, vel unus alterve eorum hæc tantum accipit, reliqui illis demum decedentibus fructum exspectant, cæterum jas ipsum præsens habent cum illis commune. Verum hæc distinctio nomine speciali destituitur, & simultaneæ investitorum posterioris generis jura ab iis, quæ aliis successoribus feudilibus tribuenda, ægre discernuntur.

§. 775.

Si investitura ei confertur, qui nondum hoc feudo fuit investitus, *prima*, si ei, qui investitus jam fuit, *repetita* s. renovatio investituræ dicitur. Prima est vel originaria, s. constitutiva, si res nunc demum feudum sit, vel derivativa s. acquisitiva, si feudum jam fuit.

§. 776.

Laudemium s. pecunia, a vasallo pro investitura non nullis in casibus domino feudi solvenda, & juramentum fidelitatis s. vasallagium, i. e. juramentum, quo fidelitas feudal is confirmatur, negligi possunt & adhiberi salva feudi natura.

§. 776. b.

Quod in casu mutatæ manus dominantis vel servientis opus sit investituræ renovatione, ex natura feudi derivari nequit.

Wolf. J. N. Tom. 6. §. 209.

Si feudum alienatur vel ex paecto feudali transmittitur

ad alium; contractus feudalis cum vasallo novo est cre- novandus.

C A P V T L V I I I .

De classibus eorum, quibus circa dominium utile feudi jus est.

§. 777.

In feudis occurunt, 1) vasallus possessor, 2) ii, qui sub pripi acquirentis investitura comprehensi, 3) simul cum vasallo possessore investiti, absque fructu tamen & exercitio jam nunc temporis addito. 4) exspectativarii, qui tamen ab eventualiter investitis, quin & simultaneè investitis, quibus nuda tantum spes succedendi, non ullus feudi fructus præsens datus, jure naturali vix differunt.

§. 778.

Is, qui post decedentem vasallum, qui ipsum jure antecedit, feudi possessionem & fructum accipit, dicitur *successor feudalis*. Sunt igitur successores feudales ii, quos jam allegavimus, qui scil. vel comprehensi sunt sub alterius investitura, ii simul investiti, qui exercitium nondum habent, exspectativarii, & qui præsenti aliquo contractu aut dispositione feudum, quod alterius adhuc erat, accipiunt.

§. 779.

Successores feudales jus suum vel habent a domino vel a vasallo. A domino jus habent, qui sub vasalli investitura comprehensi, item simul investiti, qui domino debent jus suum, saltim quatenus investituram acceperunt. Exspectativariis & reliquis successoribus potest vel a domino

mino vel a vasallo jus tributum esse, & investitura domini potest jura a vasallo concessa, confirmasse.

§. 780.

Titulus juris, quod successor habet, est vel pactum, vel ultima voluntas.

C A P V T LIX.

De infeudatione,

§. 781.

Si ex re, quæ feudum non erat, feudum fit, hæc mutatio dicitur infeudatio s. feudi constitutio.

§. 782.

Res, quæ feudum fit, antea fuit in pleno dominio vel vasalli, vel domini. Ibi oblationis, hic dationis, nomen accipit.

§. 783.

Infeudatio dividitur quoque in primam & reinfeudationem. Hæc contingit in re, quæ feudum fuit, sed esse desit, illa in re, quæ numquam feudum fuit.

§. 784.

Subinfeudatio est infundatio dominii directi vel utilis. Utrumque in feudum converti potest datione & oblatione. Hæc obfeudatio vocatur.

§. 785.

Feudum, per dationem ortum, dicitur datum, per oblationem, oblatum, per subinfeudationem, subfeudum.

§. 786.

Refert omnino, an feudum sit datum an oblatum, in feloniam scil. & consolidatione, de quo infra.

§. 787.

Datio & oblatio feudi sunt alienationum species. Sed acceptatio dationis vel oblationis, ab altero factæ, in lucro habenda, non alienationis loco.

§. 788.

Infeudatio sit per pactum aut per ultimam voluntatem.

§. 789.

Omnis res possunt feuda fieri, corporales, incorporales, mobiles, immobiles; fungibles, non fungibles.

§. 790.

Qui vult in feudum rem convertere, sit dominus & liberam habeat rerum suarum administrationem oportet.

CAPVT LX.

De iis, qui domini feudi vel vasalli esse possunt.

§. 791.

Jure naturali de iis, qui personam domini aut vasalli tueri vateant, parum aut nihil dici potest, quod non in quavis conventione alia & concessione perinde sit.

§. 792.

Personæ quoque morales possunt feuda dare & accipere, superior dare potest inferiori & accipere ab inferiore. Vasallus potest, alio feudo dato, domini sui fieri dominus.

CAPVT LXI.

De acquisitione feudi.

§. 793.

Modi acquirendi feendum jam constitutum iterum non alii, quam pactum vel ultima voluntas. Iisdemque modis acquiritur dominium directum in feudo alteri jam pridem concessò.

§. 794.

Successio in feudis est vel hereditaria vel singularis.

CAPVT

C A P V T L X I I .

*De dispositione super dominio directo, vel utili, domino
vel vasallo tribuenda.*

§. 795.

Successionem feudalem in casum existenti juris eorum, qui antecedunt, dare potest dominus ante, quam contingat apertura, nec opus est eorum, qui antecedunt, consensu.

§. 796.

Si dominus feudi habet jus, feudum tunc recipendi, quando vasalli jura in eo desinent, idque jus tam firmum est, ut ipsi nullo modo interverti possit, aut adsunt, quibus eundem in casum certissimum jus succedendi est, quo privari nequeunt; tum sine domini & horum successorum consensu nulla alienatio valet.

§. 797.

Alienatio feudi propria dicitur, qua feudum transferitur in eum, cui jus succedendi in feudum consensu domini nondum datum erat, *impropria*, qua in eum transit, cui tale jus succedendi jam erat concessum.

§. 798.

Quæ de domini consensu adhibendo jam dicta sunt, intelligenda de alienatione propria, nam in impropria jam adest domini consensus. Cæterum successorum consensio etiam in hac desideratur, quatenus eorum juribus officitur.

Wolf. J. N. §. 397. Naturaliter jus protimiseos non modo competit in alienatione feudi, quæ fit pretio interveniente, verum etiam in ea, quæ fit nullo pretio interveniente §. 402. Con-

sensus in alienationem feudi fit salvo jure protimiseos, quando fit pretio interveniente, tollit autem jus protimiseos, quando fit pretio nullo interveniente.

§. 799.

Vassallus refutat feudum, si dominio utili ita renunciat, ut ad dominum illud redire permittat. Eodem modo dici potest refutari dominium directum, quando ei ita renunciat dominus, ut apud vassalum conjungi possit cum dominio utili.

§. 800.

Refutatio dominii tam directi, quam utilis, fieri potest eo casu, quo alias a contractu recedere licet.

§. 801.

Si fidei præstandæ ratio specialem, quæ non passim in quovis obvia, fiduciam conditionemve hominis postulat, tum nec vassallo, nec domino, per alienationem alius obtrudi potest aut dominus aut vassallus. Subinfeudatio tamen dominii utilis, & obfeudatio dominii directi, ideo non interdicta, quamvis hujus subinfeudatio, illiusque obfeudatio, hoc casu fieri possint.

§. 802.

Oppignorationes & similia, sine consensu domini aut successorum, a vassallo facta, valent, dum durant jura ejus, qui hæc onera imposuit.

C A P V T LXIII.

De debitis feudatis.

§. 803.

Debita vassalli sunt vel *feudalia* vel *allodialia*. Illa ex feudo extinguenda, hæc ex allodio. Priora iterum vel sunt *feudalia mera*, ex feudo solo ita solvenda, ut iis plane non teneatur allodium, vel *accessorie feudalia*, si iis non minus obligatur allodium, & vel hoc primum, deinde feudum, excuti debet, aut *electio creditoris* est, ex utro solutionem petere malit.

§. 804.

Debita *feudalia mera* sunt, ubi versio in feudum facta est. *Accessorie feudalia* autem, ubi non nisi in securitatem

tem crediti facta est feudi obligatio, quamvis utilitas feudi hoc debito contracto promota non sit.

§. 805.

Si successor in feudo solvit debitum, quod accessorie feudale est, solutum potest repetere ex allodio, si mere feudale est, cessat repetitio.

§. 806.

Qui utilitatem ex nomine contracto solus habet, is ad ejus quoque expunctionem solus obstringitur; unde successor, qui ex beneficio comparantis ad feudum, adspirat, æs alienum, ad comparandum feadum conflatum, disolvere cogitur & ab eodem solvendum est, quidquid ex feudi emtione emtor adhuc debet.

§. 807.

Si possessor feendum ære suo a tali onere liberavit, quod successor agnoscere & ferre debuisset, impensa ipsius ejusque heredibus a successore est restituenda.

§. 808.

Si successor feudalis simul fit heres in allodio; ideo ad ea, quæ feendum concernunt, & a defuncto facta sunt, non major sit ejus obligatio, quam sine hac conjugatione bonorum fuisset.

C A P V T LXIV.

De separatione feudi ab allodio.

§. 809.

Separatio feudi ab allodio, qua distincte indicatur, quid inter utriusque generis bona, in uno possessore hucusque conjuncta, ad hanc illamve classem pertineat, potissimum tum necessaria est, quando haec bonorum species singulæ ad diversos successores perveniunt, licet & in uno possessore hac separatione opus esse possit, si debitorum feudium allodialiumque distinctio id exigit.

§. 810.

Fructus feudi, qui defuncto jam debebantur cedunt successori in allodio, & ejusdem juris sunt pecunia, ex feudo vendito redacta, feudove emendo destinata, atque impensæ a defuncto factæ, quæ ipsi a successore fuissent restituendæ.

CAP V T LXV.

De feudo & iuribus feudi extinguendis.

§. 811.

Felonia est violatio fidei feudalism.

§. 812.

Qui violat fidem feudalem, jure, quod ab altero accepit, merito exiuitur. Ergo in feudo dato vasallus amittit dominium utile, in oblatu, dominus dominium directum.

Wolf. J. N. Tom 6. §. 452. *Etum amittit, nisi specialiter naturaliter per feloniam nec vasallus feudum, nec dominus directus dominium dire-*

§. 813.

Si vasallus possessor, vel successor feudalism. laedit fidem feudalem, feendum datum committitur, dum vivit & possideret is, qui fidem violavit, in innocentibus tamen, quibus in feudo successio a violatore independens debetur, illud suo tempore est restituendum.

§. 814.

Eadem ratio dominii directi, quando per domini perfidiam amittitur. Nam & hic culpa unius non nocet aliis, quibus in dominio directo successio est, hujus culpe expertibus.

§. 815.

§. 815.

Feloniam committere potest quivis, etiam successor nondum possidens feudum, quando fidem feudalem jam promisit, aut ejus nomine promissio facta est ab alio.

§. 816.

Si improbe vasillus dominusve quid fecerit, quod tamen fidem feudalem non tangit, ideo feudum non amittitur.

§. 817.

Appropriatio fit, si dominium directum ita pervenit ad vasallum, ut is nunc dominus feudi plenus fiat.

§. 818.

Hæc appropriatio contingere potest tam perfidia domini, quam ejus consensu per pactum vel ultimam voluntatem declarato. Sine consensu tamen vasalli & eorum, qui jus successionis in feudo quæsitus habent, fieri nequit.

§. 819.

Si, domino decedente, deest, qui in dominium directum succedere possit, ex feudo per appropriationem fit allodium.

§. 820.

Si, vasallo decedente, nemo adest, cui in feudo debeat successio, fit *apertura* feudi. Hac contingente, dominium utile ad dominum reddit, si feudum est datum, securus, si oblatum. In hoc occupationi locus est.

§. 821.

Feudi jura, pereunte feudo, simul pereunt.

Institutionum juris naturalis

CAPVT LXVI.

De religione, ejusque libertate generatim.

§. 822.

Jurisprudentiae ecclesiasticae naturalis ab aliis hoc, alii aliis
foliada aliud, ad fiducium extrahitur. Haud facile cum fructu
hominum superstruas, ante a confutaveris. Jurisprudentia
tia enim ecclesiastica cum religione articulime coheret,
ut in illa non possint non toto caelo diffidere, qui in hac di-
serunt. Unde præmonendum, nos hic, ad construendam
juris ecclesiastici doctrinam, nulla alia, quam naturali,
religione usuros.

§. 823.

Complexus definitus eorum, quæ de Deo cultuque
divino vera esse, sibi persuadet homo, dicitur religio. Ad
religionem itaque pertinent ipsæ definitæ notiones de re-
bus divinis, quas homo animo informat, & quæ de modo
Deum colendi existimat. Illa sunt credenda, hæc agenda.

§. 824.

Omnia, quæ intuitu Dei cultusque divini vera cre-
dunt homines, dogmata religionis audiunt.

§. 825.

Sacra sunt quiquid religionem concernit.

§. 826.

Cultus divinus consistit actionibus, quas homo solius
persuasionis causa suscipit, quam de Deo habet. Is est
vel internus vel externus, quemadmodum actiones huc
referenda internæ vel externæ sunt. Sacra quoque,
eadem ratione, vel interna vel externa dicuntur.

§. 827.

Affensus, dogmatibus religionis datus, fides, & actus,
ad cultum divinum pertinens, sacer vocatur.

§. 828.

§. 828.

Quicquid in religione soli animi convictioni permitendum, non potestate externa humana constringendum, dicitur *res conscientiae*. Immunitas a coactione externa in rebus conscientiae, est *libertas conscientiae*.

§. 829.

Res conscientiae sunt sacra interna, & ex externis ea, quae cum internis insolubili nexu cohærent. In his enim ab omni coactione externa abstinentia esse, facile probari potest 1) ex natura Dei & hominis, quae non patitur, ut ab homine, per Deum ratione praedito, in re gravissima salutis æternæ, sine ratione agatur, & Deo, in quo summa est ratio, honor tribuatur, qui nulla ratione ntitur. 2) ex natura honoris Deo tribuendi, cum honor non sit sine cognitione eorum, quae honorem merentur. 3) ex natura officiorum inter homines, quae non permittit, ut homo ab homine perfecte id exigat, in quo ejus plane non interest. Jam religio refertur ad Deum, & salutem hominis propriam. Sed quid alterius interest, an mihi constitam, an secus. Deus non egit hominis auxilio, ut ad officia sibi debita ille alium hominem vi impellat. Saltim voluntas Dei, hanc manum implorantis, demum exspectanda esset. Huic intuitu cultus interpi accedit 4) impotentia hominis, ad voluntatem suam alterum adigendi, qui interne cogitare potest, quod lubet, cum animi cogitatio in nullius hominis oculos incurrit, ut videre possit, an ex voluntate ejus cogitetur, an secus. Unde sanæ rationi convenit, ex religionis naturalis indole, libertas conscientiae in his, quae diximus.

§. 830.

Coactio absoluta est, si arbitrium nullum alteri relinquitur, quid in rebus conscientiae facere velit, *hypotheca*, si electio ei permittitur, an velit commodis nonnullis, quae a nobis ipsi præbenda, frui, an carcere, ita ut ibi in rebus conscientiae, saltim externe, ea facere & profiteri debeat, quae illi injunguntur, hic facere possit, quod placet

§. 831.

§. 831.

Hypothetica coactio rationi non contraria.

§. 832.

Res conscientiae nec pactis, nec imperio ulli humano, ita subsunt, ut coactio absoluta in iis a quoquam sumi possit.

§. 833.

Nemo cogere potest eum, cui nulla religio cordi est, ut religionem amplectatur, eam, quam habet, retineat, ab ea ad aliam transfeat, religioni convenienter vivat, aut in omnibus ad decempedam reliquorum sentiat.

§. 834.

Quae homo homini per naturam debet, eadem sunt, sive irreligious, seu sine omni religione, sit alter, sive hereticus, sive dissidens in religione.

§. 835.

Irreligious & hereticus non potest contemni, injuria adfici, macula notari, aut ullo modo ex hac caussa laedi, quia caret religione, aut recedit ab aliorum persuasionibus.

§. 836.

Cilibet tamen jus est tentandi, an non irreligiousum ad religionem traducere, hereticum ab errore revocare, & impium ad vitam religioso homine dignam, argumentis & coactione hypothetica, movere possit.

§. 837.

Religionem bello defendere justum est, sed, bello, eamdem propagare velle, piaculum.

§. 838.

Parentes & jus & officium habent, liberos ea imbuendi, religione, quam ipsi profitentur. Integra tamen est liberis facultas, quando ad adultiorem ingenii vim progressi sunt, ab iis, quae parentes ipsos docuerunt, recebendi, & propriam sequendi intelligentiam. Si parentes reli-

religione dissident, inter eos transigendum est, quamnam in religionem, usque ad adultiorem ætatem, educandi sint liberi.

CAPVT LXVII.

De ecclesia.

§. 839.

Ecclæsia est societas, ejusdem religionis externe profiten-
dæ, & ejusdem cultus divini habendi, causa, inita.

§. 840.

Finis ecclæsiae est commoditis tutiusque religionis
cultusque divini exercitium; neutquam vero salus æter-
na. Hæc religionis est finis, non ecclæsiae.

§. 841.

Ecclæsiae sunt eadem jura & officia intuitu religio-
nis, quæ singulorum hominum.

§. 842.

Salus ecclæsiae est, sine turba & oppugnatione cultui di-
vino vacare, omnia ordine & decenter facere, habere symbola
fidei, iisque convenienter docere & agere, cum locis, tempo-
ribus, bonis fini convenientibus.

§. 843.

In cuiusvis arbitrio est, an velit in ecclæsiam conce-
dere & in ea manere, ab ecclæsia vero pendet, an aliquem
in societatem recipere, & an eum semel receptum iterum
a societate velit excludere.

§. 844.

Conventus in ecclæsia, negotiorum ejus causa, ce-
lebrati, dicuntur concilia, synodi.

§. 845.

Ecclæsia potest esse æqualis, inæqualis, æqualis
cum potestate, sine potestate.

§. 847.

§. 846.

Ecclesia dissolvi potest, vel mutata religione, vel secessu membrorum, sine ulla religionis mutatione.

§. 847.

Inter membra ecclesiæ recipi nequeunt, nisi qui sunt ejusdem religionis. Infantes inter membra recipi possunt, si parentes eos offerant, aut parentibus, aliisve, qui parentum loco sint, destituuntur, aut hi non obsunt, quomodo recipiantur.

§. 848.

Exclusio membra ad ecclesia, dicitur excommunicatione, eaque major, si ab omnibus membra juribus excludit, minor, si a nonnullis tantum.

C A P V T LXVIII.

De ministerio & potestate ecclesiæ.

§. 849.

Verbi divini ministerium est officium aliquot membrorum ecclesiæ, in aliorum commodum docendi, & sacra administrandi in ecclesia.

§. 850.

Verbi divini ministerium differt a potestate ecclesiastica, & huic subest.

§. 851.

Potest accidere, ut in uno homine utrumque jus coniunctum sit, quo casu tamen bene discernet, quæ ministerii, quæ potestatis sint. Sua natura autem nec ex ministerio potestas, nec ex hac illud, sequitur.

§. 852.

Potestas ecclesiastica ab ecclesia abesse nequit. Verbi divini ministerium vero potest esse in ecclesia, potest vero ab eadem quoque abesse, si, quod melius est, non consideres.

§. 853.

§. 853.

Verbi divini ministerio jungere potestatem ecclesiasticam, periculosum & ecclesiæ noxiū est.

§. 854.

Ubi habetur verbi divini ministerium, ibi duplicitis generis officia oriuntur ecclesiastica, profana scilicet & sacra, quorum hæc verbi divini ministerium comprehendunt, illa alias-regiminis partes, quibus addi possent *semi-sacra*, quæ tantum ad assistendum verbi divini ministerio destinata sunt.

§. 855.

Verbi divini ministerium dicitur etiam *cura animarum*. Complexus determinatus hominum, ministri alicuius curæ animarum adsignatus, dicitur *parochia*, qui ad hanc pertinent, parochiani, ipsis inserviens minister, *parochus*.

§. 856.

Si ecclesia est ita inæqualis, ut potestas ecclesiastica sit unice penes verbi dicini ministros, doctores, clericos, vocatur *hierarchia*.

§. 857.

Si ecclesia est societas æqualis, potest tamen habere *presbyteria*, quæ sunt collegia membrorum ecclesiæ, ab hac constituta, ut nonnulla jura ecclesiæ socialia nomine ecclesiæ exerceant.

§. 858.

Ritus specialis religiosus, quo facultas verbi divini ministerium exercendi confertur, *ordinatio* dicitur, ex religione naturali non necessaria.

C A P V T LXIX.

De liturgia & jure liturgico.

§. 859.

Liturgia est determinatus modus cultum divinum in cœtu obeundi. Liturgiæ partes sunt, 1) ipsa sacra in cœtu peragenda, 2) modus illa celebrandi.

§. 860.

§. 860.

Essentialia liturgiæ sunt eæ liturgiæ partes, quæ per eredenda ita determinantur, ut vel omitti, vel aliter peragi, nequeant. Accidentalia, s. adiaphora, quæ, salvis credendis, omitti, aut aliter institui, possunt.

§. 861.

Jus liturgicum est jus constituendi & ordinandi liturgiam. Hoc jus est pars potestatis ecclesiasticæ, sed in adiaphoris tantum. Nam essentialia liturgiæ nulli potestati subsunt.

§. 862.

Formula fidei est scriptura, nomine ecclesiæ exarata, quæ continet religionem ecclesiæ. Jus conscribendi formulam fidei est potestatis ecclesiasticæ pars, ita tamen exercenda, ut a religione membrorum nec latum unguem recedat formula.

§. 863.

Formulæ fidei finis non est; ut omnes ea præ veris interne habeant, quæ in ea comprehensa sunt, sed, ut doctores ecclesiæ nil, nisi ea, publice doceant, quæ in formula continentur, & jura societatis denegentur ei, qui non ore saltim profiteatur, se formulæ fidei accedere. In iis, quæ formula fidei non determinavit, quilibet potest profiteri, quæ luet.

§. 864.

Actuum factorum forma & materia tum demum pendet a potestate ecclesiæ, si actus facri, eorumque forma & materia non pertinet ad essentialia liturgiæ.

§. 865.

Quæ in actuum sacrorum forma & materia definita sunt per potestatem ecclesiasticam, ab iis recedere in cœtu nequeunt membra singula, quæ potestate non habent, ne doctores quidem.

§. 866.

§. 866.

Si nonnulli actus sacri verbi divini ministris solis ab ecclesia adsignati sunt, ut ab his tantum peragi possint, & ob periculum in mora, sacerdotis copia haberi non potest, cum tamen membra ecclesiae ea sacra, in quibus nunc moræ periculum est, ad salutem suam necessaria sibi censeant, possunt in subsidium etiam sine sacerdote huius actus suscipi.

§. 867.

In privata & domestica pietate ea forma, quæ cœtus causa præscripta est, observatu necessaria non est, sed hic cuilibet licet abundare suo sensu.

C A P V T LXX.

De conventibus sacris.

§. 868.

Conventus membrorum ecclesiae, qui cultus divini externi causa habentur, dicuntur sacri s. religiosi. Tempus his conventibus, cum omissione aliorum negotiorum, piis meditationibus obstrepentium, destinatum, vocatur dies festus s. facer.

§. 869.

Est potestatis ecclesiastice definire, an & quot dies festos habere debeat ecclesia, & quænam debeat esse conventum ratio, nisi ad essentialia liturgiæ referendi sint certi dies festi.

§. 870.

Conventicula sunt conventus sacri nonnullorum ecclesiae membrorum, in loco, conventibus sacris ab ecclesiastica potestate non destinato, privata auctoritate instituti.

§. 871.

Potestas ecclesiastica cogere potest singula membra, ut accedant conventus sacros eo modo, quo constitutum est, sub dispendio jurium societatis. Conventiculis autem potest quidem ecclesia interdicere, si tamen non inter Westph. jus nat.

L.

dixit,

dixit, hæc in se prohibita non sunt, atque sacra in iis administrari possunt quæcunque & quoçunque modo, saltem ad consulendum privatæ horum hominum conscientiæ, licet ecclesia effectus hujus privatæ sacrorum administrationis non agnoscat.

C A P V T LXXXI.

De rebus ecclesiasticis.

§. 872.

Res ecclesiasticæ, quæ immediate cultui divino inser-
viunt, sunt *sacræ, reliquæ profanæ.*

§. 873.

Res sacræ non promiscue ad usus profanos adhiben-
dæ sunt, quamdiu cultui divino destinatæ manent, quod
dicitur *sanctitas eorum externa.*

§. 874.

Inter res sacræ & profanas intuitu dominiū nullum
est discrimen.

§. 875.

Res sacra non opus habet consecratione, i. e. speciali
ritu religioso, quo facultas sacræ inserviendi ipse conces-
ditur, & ne dedicatione quidem, quâ solenniter prima
vice usui suo applicatur.

§. 876.

Inter res ecclesiasticas sunt & feuda ecclesiastica &
emphyteuses ecclesiasticæ.

C A P V T LXXXII.

*De officiis & beneficiis, eorumque ortu, amissione, juribusque
& officiis eorum, qui beneficia possident.*

§. 877.

Beneficium ecclesiasticum est complexus emolumentorum,
quæ pro administratione officii potissimum sacri in
ecclesia

ecclesia conceduntur. Huc faciunt prædia, quorum usumfructum habet ecclesiastes, pecunia aliave fungibilia, quæ præstantur, & quæ pro singulis operis a membris ecclesiæ accipere solet, quæ sunt *jura stolæ*.

§. 878.

Officii vel beneficii erectio fit, si ortum & initium capit auctoritate ecclesiastica. *Fundatio* s. dotatio est, si adsignantur bona ad erectionem necessaria, *innovatio*, si officium & beneficium mutatur in officium & beneficium alterius generis.

§. 879.

Fundatio cuivis permissa, eaque ad erectionem est necessaria. Ipsa erectio tamen & innovatio potestatis ecclesiasticæ unice est.

§. 880.

Jus patronatus, quod est complexus jurium, fundatori memoria foundationis, in beneficium erectum tribuendorum, res arbitaria est, hinc juri naturali sua natura non conveniens.

§. 881.

Provisio est, si officium & beneficium alicui conferatur. Hæc continet *nominationem*, qua decernitur, vacans officium & beneficium in aliquem conferre, *vocationem*, qua vere confertur, quod conferre decretum erat, & *introductionem*, qua in possessionem utrinque mittitur provisus.

§. 882.

Tota provisio est potestatis ecclesiasticæ, & provideri nequit, nisi is, qui dotibus instrutus, ad officium benerendum necessariis.

§. 883.

Ministrorum ecclesiæ obligatio communis est, ut in loco officii administrandi præsentes sint, ibique sedulo vacent muniis officii, quod *lex residentiæ* dicitur.

§. 884.

Præsertim vero verbi divini ministri obstringuntur ad servandam singularem vitæ honestatem, scilicet omittenda ea, quæ, licet illicita non sint, aliis tamen offendiculo esse possunt, & singulari virtutis cultui non convenient.

§. 885.

Fructus beneficii, qui defuncto jam debebantur, cedunt ejus heredibus, nec quidquam eorum ad ecclesiastiam reddit, quæ, parsimonia defunctorum & frugalitate, supersunt.

§. 886.

Jura stolæ aliaque similia officialium honoraria iis debentur, si id actum est tempore concessi beneficii, alias enim salarium, quod habent, jam & singulas operas compensat.

§. 887.

Officia ecclesiastica amittuntur morte, dimissione, qua renunciatio ministri approbatur, translatione, si loco prioris aliud confertur, remotione, qua invito adimitur officium.

§. 888.

Renuncianti dimissio semper est concedenda, nisi ad certum tempus officio se adstrinxerit. Dimittere, transferre, removere cæterum est jus ecclesiæ.

C A P V T . LXXIII.

De delictis & pœnis ecclesiasticis.

§. 889.

Translatio invito ministro fieri nequit, remotio permis-
sa, vel ex justa causa, vel si tempus certum habendi
officii non convenit.

§. 890.

Hæresis in mente retenta & apostasia non sunt læsi-
ones ecclesiæ. Impietas membra, & hæresis, quam publi-
ce profitetur, ecclesiæ dat jus membrum improbum ex-
cluden-

cludendi, licet alias excludi non potuisse. Hæresis, quam publice docet verbi divini minister, merito inter delicta refertur.

§. 891.

Rerum sacrarum profanatio consistit in illicita applicatione rerum sacrarum ad usus profanos, aut adeo turpes, quæ, si a membro ecclesiæ sit, in delictis est.

§. 892.

Pœna, quæ vi potestatis ecclesiasticæ infligitur, dicitur *ecclesiastica*. Jus autem pœnas decernendi membris, ecclesiam laudentibus, maxime extra rem publicam, ecclesiæ denegari nequit. Inter pœnas est & excommunicatio.

C A P V T LXXIV.

De parte practica, speciatim probatione, presumtione & juris applicatione.

§. 893.

Pars juris practica instruit ad formam & modum expendi negotia forensia, cumque hæc sint vel lites inter partes tractandæ, vel alia negotia, sine omni altercatione, amice inter homines transigenda, de utrisque seperatim agendum.

§. 894.

Ubilis intercedit, nec componi amice inter dissidentes potest, vis & truculentia s. bellum abstinet, de qua nūn propius dicendum erit.

§. 895.

Antequam ad vim procedi possit, certum esse debet, ei, qui consue progredivit, id jus esse, quod vitueri cupit. Unde & probatio antecedere debet, & debita juris ad factum applicatio.

§. 896.

Si alter rem possidet, quam ego similem esse audio ei, quæ mihi abest, inde mea interest, rem videre, ut, si

mea sit, possim dominium persequi, perfecte tenetur possessor, rem mihi ostendere & exhibere, unde vi ad exhibendum adigi potest, cum jus perfectum ad finem det jus perfectum ad media.

§. 897.

Probatio est convictio alterius de existentia ejus, quod asseveratur. Per probationem docetur veritas, scil. logica, quae est convenientia rei cum notione, quae animo informatur.

§. 898.

Facti est id, de quo alter, ut pro vero habeat, antea convincendus est. Probari debet omne id, quod alter non ultro iam novit. Ergo ea omnia facti sunt, quae ad hoc genus referuntur.

§. 899.

Probatio est vel *artificialis* vel *inartificialis*. Illa est, ubi res probanda mediate s. argumentis probatur, haec ubi immediate. Utraque vel *plena* vel *minus plena* s. imperfecta. Prior tantum continet, quantum ad convictionem necesse est, posterior aliquid quidem huc faciens, non omnia tamen, quibus opus est.

§. 900.

Præsumptionis vox apud Jureconsultos duplicitis est sensus. *Prima* præsumtio dicitur id, quod absque probatione pro vero habendum, donec probetur contrarium, & haec est præsumtio juris. *Deinde* est argumentum, unde rei probandæ veritas non certo quide[m], quodammodo tamen s. probabiliter, colligi potest, s. probatio artificialis imperfecta, quae dicitur præsumtio hominis.

§. 901.

Quae homini connata sunt, pro se habent præsumptionem juris, quae contracta, probatione egent.

§. 902.

Pro possessore est præsumtio juris, nisi jus, quod afferit, sit extraordinarium, contra quod militat præsumtio.

§. 903.

§. 903.

Qui mutationem factam negat, pro eo est præsumtio.

§. 904.

Pro delicto commisso non est præsumtio, nec pro donatione, renunciatione, solutione.

§. 905.

Medium probandi est, quicquid primum fundatum probationis continet. Jure naturali huc referri possunt documenta, quæ confessionem ejus, contra quem probandum, continent, & quæ scripsisse constat confitentem, aut eum, qui pro una persona cum ipso habendus.

§. 906.

Si adversa pars documenta possidet, quibus ius mihi ab ipso debitum probare possum, perfecte mihi tenetur ad documenta hæc edenda, quam editionem itaque per vim exigere possum.

§. 907.

Confessio, quæ est adfirmatio rei probandæ ab eo, contra quem probandum est, facta, contra confitentem est optima probatio.

§. 908.

Ocularis inspectio, quæ de asserti veritate per sensus proprios convincit, est medium probandi certissimum.

§. 909.

Juramentum ab altero delatum aut relatum, si ab altero præstitum, perfecte probat id, quod juramento præstito confirmare voluit jurans. Si jurare detrectat is, cui delatum est, ideo pro se nondum probavit descrens.

Wolf. J. N. Tom. 5. §. 1060.

Si res controversa aliter probari nequit, per juramentum est probanda: Si non sufficienter s. plene probata,

per juramentum defectus probationis est supplendus, si denique adversus aliquem militant præsumtiones, per juramentum sunt clidendæ.

§. 910.

Probatio per téstes sive juratos sive injuratos perfecta numquam est, cum certum numquam sit, téstes verum dicere voluisse. Probanda non sunt, quæ probari non interest.

Wolf J N. Tom. 5. §. 1037.

Testis unus, etiam si juratus ac minime suspectus s. integrer, sufficienter non probat.

§. 1038. *Hec probatio est semiplena.* §. 1032. *Testis pecuniam accipere, vel, quando promittitur, promissio-*

nem acceptare non debet, etiam si norit, se, falsa con-

scientia, aliud dicere non posse, quam quod a dante vel promittente exigitur, & similiter testi dare vel promittere non licet pecuniam, ut pro altero vel contra alterum testetur, etiam si notum tibi sit, rem aliter sese non habere.

§. 911.

Nemo in rebus aliorum extra rempublicum cogi potest, ut testimonium ferat.

§. 912

Præsumtio juris cedit veritati probata.

§. 913.

Notorium s. id, de quo ei, cui probandum, præter multos alios, jam constat, non opus habet probatione.

§. 914.

Applicatio juris ad factum est conjunctio facti cum lege aut legitima dispositione, ad inveniendum jus vel officium in casu obvio. *Decisio* est determinatio juris vel officii in casu obvio, post applicationem juris ad factum, orta.

§. 915.

Cognito & probato facto, atque invento jure, quod facto convenit, si alter nihilominus resistat, pergitur ad vim.

CAPVT

C A P V T LXXV.

De bello & partibus bellum gerentibus.

§. 916.

In belli gestione primo de ipsis bellum gerentibus dicendum. Hi vel sunt *partes principales*, vel *minus principales*, illorum nomine bellum geritur, hi gerentibus tantum adfistunt. Ad illos pertinent bellum inferens, & is, qui bello appetitur.

§. 917.

Plures, quibus belli causa communis est, unde bellum communiter movent, dicuntur *confortes*. Si alius aliorum liti se immiscet, quia sua interest, is dicitur *interveniens*, & bellum ejus, intervention, quæ vel *principalis*, vel *accessoria* est, hæc, ubi interventione sua alterutram belli partium adjuvat, illa, ubi utriusque partis adversarius est.

§. 918.

Qui nec belligerans *principalis*, nec *minus principalis*, nec *interveniens* est, dicitur *neutrarum esse partium*, cuius conditionis omnes esse creduntur, donec probetur contrarium.

C A P V T LXXVI.

De bello gerendi actu ejusque partibus.

§. 919.

Actus in bello obvii sunt. 1) *Belli indicatio*, qua bellum inferens declarat, quod bello uti nunc velit. Hæc est vel *pura* vel *conditionata*. Posterior continet conditionem, nisi adversarius ultro adhuc satisfaciat officio.

§. 920.

In bello non punitivo indicatio belli semper est conditionata, sive conditio exprimatur, sive non. In punitivo autem est pura.

L 5

§. 921.

§. 921.

Indictio belli non est necessaria, & potest interdum esse incauta. In bello defensivo plane superflua est. Potissima ejus utilitas eo tendit, ut alii de justitia belli convincantur, quod pro re nata non levius momenti res est.

Grot. L. 3. c. 3. §. 6. in bello,
ubi vis illata arcetur, aut
ab eo, qui deliquit, poena
deponscitur, belli denuncia-
tionem non requirit. §. 10.

Si, bello absoluto, ob auxi-
lia suppeditata alter bello
impetendus, opus esse do-
cet nova indictio.

§. 922.

2) Ipsae hostilitates, s. mala, quae una partium belli
alteri infert, quae vel licitae sunt vel illicitae.

§. 923.

3) Deditio seu omissio omnis vis defensivæ & resi-
stentiae, ab adversario ideo facta, ut & alter nunc a vi
desistat.

§. 924.

4) Victoria est per hostilitates obtenta virium præ-
minentia. Hac obtenta, hostis petere potest tam id,
quod belli causa fuit, quam impensas in bellum factas &
omne id, quod ejus interest.

§. 925.

Bellum continuari potest, donec alter adactus sit ad
faciendum officium, simulque is satis poenarum dederit,
quas læsio requirebat. In bello punitivo, tantum ex po-
steriore, definiendus modus belli continuandi.

§. 926.

Si bellum rei causa movetur, quam alter possidet,
is, qui rem petit, eam sibi aufert, quando per vim eo.
pervasit, ut auferre possit.

§. 927.

Si jus nostrum alteri nondum probatum, is tamen
detrectat viam, qua ipsi probari potest, bellum inchoare
licet, quamvis jus belli adhuc illiquidum sit.

§. 928.

§. 928.

Si deditio alterius sequitur, tum & vicitor a bello desistere debet, nisi simul poenae nomine aliquantisper hostilitates continuare possit. Sumit sibi nunc vicitor, quæ belli nomine poscere potest, aut victus ea ultiro præstat.

§. 929.

Si adest concursus creditorum, massa bonorum ante omnia est constituenda, administranda, & in pecuniam paratam omnia sunt regidenda, deinde singulorum creditorum nomina sunt audienda & cognoscenda, porro solutionis ordo inter creditores est definiendus, denique pecunia, ex rebus venditis distracta & aliunde conflata, inter creditores suo ordine distribuenda. Separanda sunt, quæ ad bona debitoris non pertinent, colligenda autem & e fuga revocanda, quæ a debitore in dannum creditorum dissipata erant.

C A P V T LXXVII.

De amica compositione.

§. 930.

Si lis quæ aliquamdiu inter plures fuit, per conventiōnem tollitur, ea conventio dicitur amica compositio, quæ, si bellum præcessit, quod hac conventione finitur, nomen pacis accipit. Dicitur tamen pax etiam ea rerum conditio, qua cum nemine nobis bellum est.

§. 931.

Qui operam suam & studium accommodat, ut lis per amicam compositionem tollatur, dicitur *mediator*. *Arbiter* est, qui a litigantibus pacto electus, ut litem ipsorum decidat.

§. 932.

Pactum, quo decisioni arbitri res committenda convinitur, dicitur *compromissum*, quo arbiter decisionem ^X ipso decitat.

pacto sibi delatam suscipit, receptum, decisio, quam, compromissi caussa, facit, arbitrium.

§. 933.

Arbitri sententiae standum, nisi casus adsit, quo a conventione recedere licet, v. g. si per sordes judicavit, aut alio modo per columniam, aut si super eo, quod ipsius arbitrio non commissum, judicavit.

§. 934.

Pactum, quo, in causa dubia, interveniente utrumque aliquo lucro, lis componitur, dicitur transactio. Si causa est indubia, aut alteruter nihil lucratur, est **pactum remissorium**.

§. 935.

Qui *pace* fruitur, seu ea rerum situarum conditione, qua ab omni vi hostili vacat & quiescit, is hanc felicitatem vel consecutus est conventione pacis, vel bellum antea nullum habuit, sed semper quiete & sine concordiae interruptione cum aliis vixit.

§. 936.

Induciae sunt pactum eorum, qui bello occupati, quod ad tempus hostilitates sistere velint

§. 937.

Pax condi potest vel per transactionem, vel per pactum remissorium, vel per mediationem.

C A P V T LXXXVIII.

De iis, qui alias negotiis tractanais interveniunt.

§. 938.

Sunt etiam in negotiis ICtorum, quae ad litium tractationem pon pertinent, *personae principales*, quarum nomina negotium expeditur; & *minus principales*, quae aliarum nomine concurrunt.

§. 939.

§. 939.

Ad posteriores referendi mandatarii, festes, proxenetae, qui conciliando negotio inserviunt, & adstantes, qui consiliis instruunt personas principales.

C A P V T LXXXIX.

Modus negotia tractandi.

§. 940.

Omnia negotia forensia tam ore, quam per scripturam, peragi possunt, in iisque ea lingua utendum, quam partes, quarum interest, intelligunt, formulæ adhibenda sunt, quæ aptissimæ, ad mentem exprimendam, videndumque ne quid omittatur eorum, quæ momentum facere possunt, stylus seu conjunctio verborum sit luculentissima, diés & consul adjiciatur, complicatio ita fiat, ne quid falsi intendi & inferi possit, eademque sit cautio subscriptionis, quæ in holographo non adeo necessaria. Sigilli appositio est species subscriptionis.

§. 941.

In omni negotio forensi prospiciendum, ne olim probatio desit

§. 942.

Forma negotii sunt, quæ in illo præter notionem ejus discerni possunt. Hæc concernit vel contenta, quod est forma interna, vel alia, quo casu dicitur externa.

§. 943.

Formæ externæ conveniens est, ut loco apto, non obscuro, per homines ad tractandum idoneos, tempore opportuno & sufficiente, agatur, & quilibet faciat, quod suarum est partium.

§. 944.

Negotiorum expediendorum caussa, sæpe necessarii congressus, qui tam in societatibus, quam extra eas, occurruunt. De illis supra actum. De his nil singulare dicendum est.

CAPVT

CAPUT LXXX.

De republica ejusque fine.

§. 945.

Respublica s. civitas est societas, salutis publicæ causa inita. Salus publica, s. bonum publicum, autem est ea hominum coniunctorum conditio, qua ipsis nihil deest eorum, quæ ad felicitatem sunt necessaria, & in coniunctione in singulos cadere possunt. A fine rerum publicarum discernenda earum occasio, quæ saepe ejus latitudinis non est, cuius reipublicæ semel constitutæ finis.

§. 946.

Salutis publicæ amplitudo summa est, unde multæ ejus sunt partes. Referenda huc 1) securitas publica, qua a læsionibus exterorum cives defenduntur, 2) tranquillitas publica, qua unus civium ab alterius civis læsionibus tutus est. 3) Justitiæ administratio, qua, per judicem jus suum obtinendi, cuivis opportunitas est, 4) Refum ad vitam pertinentium affluentia 5) Bonorum publicorum apparatus; unde onera publica sustentari possint.

§. 947.

Salus singulorum seu salus privata singulis dum inuenit rempublicam proposita est. Unde, quantum fieri potest, curandum est ei, qui rempublicam gubernat, ut hæc singulorum salus vere efflorescat. Quia tamen communis omnium salus in multis obtineri nequit, sine molestia non nullorum, aliis iterum commodis compensanda, quibus carerent, si extra rempublicum viverent; injuria singulis non infertur, si reipublicæ gubernator salutem publicam saluti ipsorum anteponit. Imo hic debet reipublicæ sitæ id officium, ut commodis publicis singulorum comoda post habeat, civisque semel reipublicæ adscriptus ex conventione reipublicæ perfecte adstringitur, ut communi bono studeat, quamvis cum privato ejus dispendio coniunctum sit.

§. 948

§. 948.

Hinc regula: Is, qui reipublicæ præfest, omni modo curare tenetur, ut singulis bene sit, nihilque, quantum m̄ fieri potest, in singulorum molestiam, jacluram, misericordiam publice suscipiatur. Quodsi tamen sit pugna inter publicam & privatam felicitatem, vincit salus publica.

§. 949.

Is, qui membrum est alicuius reipublicæ, dicitur *civis*, alii, qui ejus membra non sunt, vocantur *peregrini*.

C A P V T LXXXI.

De unione civili & juribus ac officiis civitatis generatim.

§. 950.

Pactum, quo in rempublicam conceditur, dicitur *unio civilis*. Res publicæ autem, earumque gubernatores, ex conventione hominum libera oriuntur, non sunt a natura, non immediate a Deo.

§. 951.

Habet res publica sua jura, non magis, quam officia. Potestas ejus dicitur *potestas civilis*, intuitu civium exercita, *imperium civile*, cui respondet *subjettio civilis*.

C A P V T LXXXII.

De territorio.

§. 952.

Territorium reipublicæ est spatum, intra quod reipublicæ imperium civile exerceatur.

§. 953.

Respubliea potest esse sine territorio.

§. 954.

§. 954.

Si imperium civile circa terræ superficiem in regione exercetur, idem & ad aërem, huic superjectum, & ea, quæ sub terra conduntur, naturaliter extenditur.

§. 955.

Est regula ICtorum: *Quicquid est in territorio, creditur etiam esse de territorio, aut quicquid est in territorio, est etiam de territorio, quæ regula illustratione eget.*

§. 956.

In territorio res esse potest dupli ratione. Vel enim spatio ei, quod indubie ad reūpublicum pertinet, homo vel res inest, ita ut imperio civili certissime subsit spatum, quod repletur per rem aut personam, vel res occupat locum, undique quidem spatio reūpublicæ alicujus inclusum, an vero ille locus territorii partem faciat, an ab hoc discretus sit, adhuc ignoratur. *De territorio esse, indicat, imperio civili alicujus reūpublicæ subiectum esse.*

§. 957.

Jam si priori modo homo aut res est in territorio, est etiam de territorio, quia publica salus non patitur, cum iis, quæ potestati subsunt, commixta & confusa esse, quæ hanc potestatem non agnoscunt, 2) quia spatum, quod nunc replet res aut homo, antea suberat potestati, unde ejusdem juris debet esse, quod hunc in locum intrat. Si posteriori modo res est in territorio, esse quidem de territorio nondum dici potest, attamen creditur esse de territorio, nisi peculiaris ratio originis reūpublicæ hanc juris præsumptionem tollat aut infirmet. Nam extra ordinem & per exceptionem a regula statuenda es- set rei undique territorio inclusæ exemptio, cum tamen pro regula, eoque, quod ordinarium est, præsumtio sit.

§. 958.

Territorium clausum dicitur 1) in quo omnes terræ, territorii finibus inclusæ, sunt pars territorii, 2) in quo saltum

saltim habendæ sunt pro parte teritorii, donec probetur contrarium 3) in quo subditus forensis est semper etiam intuitu personæ subditus. Triplici itaque sensu est etiam non clausum.

§. 959.

Territorium est vel *solitarium* vel *commune* vel *divisum*.
1. mixtum. In primo omnia jura imperii sunt penes unam rem publicam, in secundo penes plures indivisim, in tertio penes plures divisim ita simul, ut jura unius non subsint potestati alterius. Si nonnulla jura exerceat una res publica in alterius territorio, sed ita, ut hujus imperio subsint, oriuntur servitutes juris publici.

C A P V T LXXXIII.

De potestate & subjectione civili.

§. 960.

Imperium differt a dominio, licet in illo comprehensum sit dominium publicum, quod dominium imperio jungit, & dominium eminens, quod imperii magis, quam dominii, jus est.

Wolf. J. G. §. 274. Si gens regionem quamdam occupavit, omnis terra & quæ in ea sunt, in dominio ipsius sunt.

§. 961.

Is cui partes potestatis civilis concessæ ab eo, qui illam habet, dicitur *magistratus*. Potest ipse imperans dici *magistratus*, quia omnes partes potestatis civilis ipsi concessæ a populo, penes quem origine est potestas. Plerumque tamen a numero magistratum is nomine eximitur.

§. 962.

Potestas civilis dicitur quoque *majestas*, & ei, penes quem est potestas civilis, tribuitur *majestas realis*. Qui vero habet splendorem & eminentiam ex potestate *Westph. jus nat.* M *civili*

civili oriundam, ei tribuitur *majestas personalis*. Inde hanc habet, una cum reali, Princeps plenissimo imperio instructus, non nisi personalem vero Princeps, cujus adiutor est potestas, ita tamen ut honore fruatur omni, qui Principi umquam tribui potest.

§. 963.

Potestas civilis habet limites suos naturales, potest tamen & habere paectios. Illi ex fine reipublicæ, & relatione salutis communis ad salutem singulorum, oriuntur.

§. 964.

Potestas civilis est 1) plena vel minus plena, 2) limitata, vel absoluta, 3) perpetua vel temporaria, 4) patrimonialis vel ususfructuaria &c. Præsertim est 5) vel *summa* vel *subordinata*. Illa ab alia potestate civili non dependet.

§. 965.

Est quoque 6) vel *vulgaris* s. *ordinaria*, vel *eminens* s. *extraordinaria*: Hæc est, quæ in casu necessitatis tantum, ob extraordinarias boni publici rationes, exerceri potest, non in regula.

§. 966.

Si, potestate ordinaria exercita, salus publica detrimentum capit, potest exerceri *eminens*, quamvis iura singulorum lèdantur.

§. 967.

Potestas civilis, si sponte in conjunctionem coaluerunt cives, est origine penes omnes; si inviti ab alio in rempublicam congregati sunt, origine est penes eum, qui rempublicam ordinavit.

§. 968.

Is, qui habet potestatem civilem in republicam, dicitur superior rei publicæ, qui vel unus est, vel ex pluribus hominibus compositus, imo & ex universitate s. collegio consistere potest.

§. 969.

§. 969.

Superior omnino officia habet erga rempublicam suam, scil. ut observeat limites naturales, de quibus jam dictum. Unde absit Machiavellismus.

§. 970.

Qui potestati civili reipublicæ subest, dicitur *subditus*. Potest inter subditum & civem interesse, si nonnullis iuribus præcipuis civis gaudet, subdito, qui civis non est, negatis. Quando autem nulla sunt jura præcipua unius subditi præ altero, effectu cessat illud discrimen.

§. 971.

Si superior reipublicæ in uno, aut paucioribus, qui rempublicam dirigunt, consistit, potest vel esse reipublicæ suæ subditus, vel independens. Posterior non absolute necessitatis est. Unde judicari potest de Monarchomachismo. Reliqui omnes, qui in territorio commorantur, aut bona in eo possident, sive cives sint, sive non sint, subditi sunt.

§. 972.

Subditus ergo vel civis est vel non. Item vel incola est, si domicilium in republica habet, vel forensis, si tantum prædia in territorio possidet, vel temporarius, si non nisi ad tempus intra rempublicam commoratur.

§. 973

Subditus debet 1) superiori honorem & obsequium in iussibus, quibus non potest resistere, nisi manifesto limites potestatis excedat superior. 2) salutem publicam promovere & damna reipublicæ avertere, etiam absque speciali lege & iussu. 3) abstinere ab exercitio iurium potestatis civilis, ipsi non speciatim concessorum.

§. 974.

Subje^ctio civilis non tollit libertatem civium naturalem. Supersunt enim actiones, quæ salutem publicam non tangunt, quasque superior arbitrio civium reliquit. In his, quas indifferentes vocant, suum sequitur quisvis arbitrium.

§. 975.

Subditi temporarii subsunt imperio reipublicæ in actionibus suis, forenses, in rebus prædia concernentibus, incolæ, intuitu statuum, quos sustinent, & eorum, quæ a statu pendent.

§. 976.

Subjectioni non adversatur, si jussibus superioris subditus supplices preces opponit, quibus mutationem eorum quærerit, modo periculum in mora non sit, &, facta precum rejectione, supplicans quiescat.

CAPVT LXXXIV.

De legibus fundamentalibus &c comitiis.

§. 977.

*L*eges fundamentales sunt, quæ versantur circa potestatis civilis exercitium, & vel per modum pacti cum populo conduntur, vel legis, ab eo, qui circa potestatem civilem statuere potest. Si enim potestatem patrimonialem habet Princeps, leges fundamentales solus condit. Si respublica est democratica, eadē ratione jure imperii hæ leges conduntur.

§. 978.

Si per modum verarum legum conditæ sunt leges fundamentales, potest idem eas tollere, qui constituit. Si vero per modum pacti placuerunt, mutuuus paciscentium consensus ad eas tollendas necessarius est.

§. 979.

Conventus civium, qui negotiorum publicorum causa instituuntur, dicuntur *comitia*. *Conclusa* in his fiunt *comititia*. Jus suffragii in illis dicitur *jus comitiorum*.

CAPVT

C A P V T LXXXV.

De speciebus rerum publicarum.

§. 980.

Forma reipublicæ est pars politiæ, qua spectatur, apud quem sit potestas civilis. Harum formarum tres potissimas statunt politici, *Monarchiam*, *Aristocratiam*, *Democratiam*. In illa penes unum, in ista penes nonnullos, qui coniunctim & per modum collegii imperium habent, in hac penes omnes cives coniunctim, potestas est.

§. 981.

Forma, quæ exacte ad unam harum trium referri potest, dicitur regularis, quæ nequit, irregularis.

§. 982.

Irregularis est forma, si plures, qui collegium non sunt, vel communiter, vel divisim potestatem habent, ita ut nonnullæ ejus partes ad hunc, aliæ ad alium pertineant. Posteriori modo oritur status in statu, priori, respublica multiceps.

§. 983.

Irregularis quoque est, quæ mixta ex duabus tribusque formarum regularium.

§. 984.

Res publica, quæ monarchia, aut ex monarchia mixta est, dicitur *regnum* s. principatus, quæ neutrum est, respublica strictius.

§. 985.

Respublica libera est, quæ potestati civili alterius non subest, quæ subest, non libera s. subordinata.

§. 986.

Respublica *composita* est, cuius membra sunt respublicæ minores, *simplex*, cuius membra sunt singuli homines, aut quæ saltim respublicas minores, membrorum loco, non habet.

M 3

§. 987.

§. 987.

In regnis is, in quo vel omnia, vel multa, potestatis civilis jura concurrunt, dicitur *rex*, *princeps*, *monarcha*. Reliqui omnes dicuntur *populus*.

§. 988.

Is, cui tantum concessa est directio reipublicæ, non est *princeps*. Est tamen *princeps* etiam is, cuius jura potestatis *populus* participat.

§. 989.

Si, in regnis, aliqui ex populo in partem potestatis veniunt, hi dicuntur *status s. ordines regni*.

§. 990.

Regna sunt vel, perfecte *monarchica*, vel *imperfecte*, vel *patrimonialia*, vel *usufructuaria*, vel *herilia*, si conjuncta cum dominio in subditos exercendo, vel non *herilia*, si secus.

§. 991.

Iura principis in regno dicuntur *regalia*, & quidem *reservata*, si sine populi aut ordinum accessu ea exercere potest, *communicata*, si nequit. Potest & *populus* habere quædam jura, circa quæ *princeps* plane non concurrit.

§. 992.

Si regnum monarchia perfecta non est, occurruunt comitia regni, ubi convenienter *princeps* & *populus s. ordines*, vel sine *principe* *populus* solus.

§. 993.

Si publicorum quidem negotiorum caussa aguntur conventus, non tamen totius reipublicæ nomine: sunt quidem comitia in regno, non tamen regni.

§. 994.

In regnis occurruunt *capitulationes*, quæ sunt pacta inter *principem* & *populum s. ordines*, per quæ *principis potestas* limitatur.

§. 995.

§. 995.

Qui in aristocracia potestatem civilem conjunctim habent, dicuntur *optimates*, *ordines*, *proceres*, quorum collegium est superior reipublicæ, oppositus populo, qui vel potestatem participat, vel non.

§. 996.

In aristocratis esse possunt leges fundamentales, per modum pacti cum populo, vel modum imperii, conditæ.

§. 997.

In aristocracia perfecta dantur tantum comitia optimatum, in ea, quæ ex democratio mixta, obvia comitia, & populi solius, & populi cum optimatibus.

§. 998.

In democratia non occurrit, nisi populus, isque est reipublicæ superior. In his leges fundamentales per modum imperii conduntur. Occurrunt in iis comitia populi, in quibus singuli cives jus comitiorum habent.

CAPUT LXXXVI.

De systemate rerum publicarum & rebus publicis unitis ac incorporatis.

§. 999.

Societas plurium rerum publicarum, quæ in unam rem publicam non coaluerunt, dicitur *systema rerum publicarum fœderatarum*, & singulæ res publicæ, fœderatæ audiunt.

§. 1000.

Res publicæ plures, quæ communem habent superiorem unam tamen rem publicam majorem non constituunt, vel ita eidem superiori subsunt, ut in perpetuum adsit eonjunctio, vel ita, ut ex accidenti contigerit, Principem unius reipublicæ potitum quoque esse imperio in altera. Priore casu *conjunctione s. unitæ* dicuntur hæ res publicæ, posteriore speciale nomen deest. Unio autem priorum

poteſt eſſe vel *aequalis* vel *inæqualis*, talis ſcil., ubi potiora in unione jūra habet una p̄æ altera, & a principatu in una p̄endet potestas in altera. Hoc caſu altera reſpublica di- citur principalis, altera *minus principalis*.

§. 1001.

Altera reſpublica alteri *incorporatur*, ſi ſocietas homi- num, qui adhuc ſeparataim habuere rempublicam, nunc fit membrum reipublicæ alterius, & vel fit minor res pu- blica, nunc inserta numero aliarum, quæ jam ſunt membra reipublicæ majoris, vel plane ex forma reipublicæ pecu- liaris diſfluit, & confunduntur cives ejus cum civibus aliis reipublicæ ſimplicis.

§. 1002.

Systema rerumpublicarum foederatarum, reſpublicæ conju- nectæ, & eæ, quarum una incorporata eſt alteri, non faciunt rempublicam compositam, poſteſt tamen reſpubli- ca composita, ſi per incorporationem nova accedit reſ- publica minor, numero rerumpublicarum minorum augeri.

§. 1003.

In ſystemate rerumpublicarum foederatarum ſiugulae manent liberæ. Immo & conju-nectæ poſſunt eſſe liberæ. Reſpublicæ vero minores, compositam conſtituentes, non ſunt liberæ. Incorporatæ vel deſierunt eſſe reſpublicæ, tum de earum libertate nihil amplius dici poſteſt, vel man- ferunt reſpublicæ, ſed factæ ſunt minores in reſpublica composita, quo facto amifetunt libertatem.

C A P V T LXXXVI.

De reſpublica composita.

§. 1004.

Reſpublica composita admittit omnes formas, quas habere poſteſt ſimplex. Idemque de rebuspublicis minoribus dicendum, quibus conſtat reſpublica composita.

§. 1005.

§. 1005.

In republica composita obvia duplex potestas civiliis, superior, in republica composita ipsa, subordinata, in rebus publicis minoribus singulis, quibus componitur major.

§. 1006.

Potestas civilis subordinata rerum publicarum minorum exercetur vel privative, ita ut immediate sicut exerceatur nequeat simul a republica majore in subditos rerum publicarum minorum, vel cumulative scilicet concurrenter, i. e. ita, ut & immediate a majore republica potestas in hos subditos exerceri queat.

§. 1007

Dantur hic comitia & leges fundamentales, in republica tam majore, quam minoribus.

C A P V T LXXXVIII.

De ortu & interitu reipublicæ.

§. 1008.

Respublica vel ex libero eorum, qui in eam conjunguntur, consensu oritur, sive sine ullius novæ reipublicæ architecti suasu & auctoritate eò permoti, sive aliquem auctorem secuti, sint, qui simul machinam reipublicæ construxit, dispositaque, vel inviti ab aliquo subjugantur & sub imperium vocantur.

§. 1009.

Territorium reipublicæ vel ita nascitur, ut tota natione, in rempublicam jam coniuncta, subito & raptim terras, quas imperio suo subjicit, occupet, vel ut singuli, qui tamquam segreges familiæ agros suos, terras & prædia coluerunt, & per amplius spatiū hucusque habitarunt, nunc uniti in rempublicam, sua singulorum prædia in reipublicæ, territorium convertant.

§. 1010.

Interdum imperium amplum, mole sua nutans, subito dehiscit, & in plura separata regna dissolvitur, quod dismembratio vocatur.

§. 1011.

Respublica composita oriri potest vel ita, ut singulæ respùblicæ minores, antea liberæ, conjunctionis consilium capiant, communem superiorem eligant, & in unam rem publicam compositam hoc modo consocientur, vel ita, ut respublica simplex paullatim faciem mutet, & ex singulis partibus territorii singulares respùblicæ excrescant, quæ tamen subjectionem sub communi, cui antea parebant, imperio simul retinuerunt.

§. 1012.

Potest respublica interire, si omnes ejus cives morte violenta occumbunt, & cum ipsa respublica intereunt, aut ipsi quidem salvi & superstites sunt, conjunctione autem in rem publicam inter eos tollitur. Posterius accedit, si ad libertatem naturalem revertuntur cives, aut alii reipublicæ incorporantur, aut respublica, dilapsa in varias alias respublicas minores, inter se non amplius conjunctiones, dissolvitur.

C A P V T LXXXIX.

De membris reipublicæ peculiaribus, præsertim principio in regnis.

§. 1013.

Membra reipublicæ, singulari modo ab aliis distincta, sunt Princeps, ordines, vicarii regni, officiales publici.

§. 1014.

Princeps vel est regnans, si potestatem jam præsentem cum exercitio habet, vel Princeps successor, princeps juventutis, si præsentem cum exercitio potestatem non habet, est tamen in casum, quo, qui nunc resignat, derit, designatus in ejus locum Princeps.

§. 1015.

§. 1015.

Unus idemque potest plurium regnorum Princeps regnans simul esse.

§. 1016.

Princeps regnans habet duplēm personam, publicam, si consideratur cum potestate civili, & privatam, si absque hac, in iis, quæ cū aliis hominibus communia habet.

§. 1017.

Princeps, qui diversis rebus publicis simul imperat, sustinet plures personas publicas.

§. 1018.

Princeps est 1) vel independens, summus, vel dependens, subordinatus, vel 2) absolutus vel limitatus, vel 3) plenus; vel minus plenus, vel 4) patrimonialis vel usufructuarius, vel 5) temporarius vel perpetuus.

§. 1019.

Princeps potest esse summus, attamen limitatus, ad ducti & adstricti imperii, absolutus, attamen dependens &c.

§. 1020.

Principes plures, qui potestatem in communione habent, *conjunctæ potestatis*, qui jura potestatis singuli diversa habent, *divisæ potestatis* duci possunt.

§. 1021.

Si princeps minus plenus est limitatus, aut usufructuarius, tum sunt & populo in regimine suæ partes, quas juxta principem exercet.

§. 1022.

Princeps, si *aliud* nescitur, habendus pro independente. Plene quoque & absolute jura ab illo exerceri posse credendum est, donec doceatur, quis potestatem ejus delibet, aut lateri ejus appositus sit, consilique in rebus publicis debeat. Potestas tamen patrimonialis in casu dubio

non

non statuenda, sed usufructuaria, nec temporaria, sed perpetua.

§. 1023.

Princeps summus, intuitu personæ publicæ, eatenuis in libertate naturali est, quod ab imperio alterius non pendeat, nisi reipublicæ sublit, cuius habens gerit. Cæterum vinculis, quibus adstringitur reipublicæ, semper ab omni agendi libidine interdicitur, sive sit plenus & absolutus, sive imperfectæ & adstrictæ potestatis. Solet habere signa majestatis personalis.

§. 1024.

Princeps dependens nullo modo in libertate naturali est, & quæ de vinculis summi principis dicta, in dependentem cadunt eo magis.

§. 1025.

Princeps regnans, in persona publica, quando limites sibi creditæ potestatis non excedit, illicitaque, sine consensu populi speciali, non agit, repræsentat populum, & quod ipse facit, integra gens, cui præest, fecisse putanda est.

§. 1026.

Si gens Principi parens non habet imperium in principem suum, quod habere in casu dubio non creditur, ideo tamen integra natio junctim spectata Principi subdita esse dici nequit. Habuit enim ante, quam Principem eligeret, potestatem civilem non in se ipsam, sed in singulos ex se, membra scilicet reipublicæ. Hanc potestatem, non aliam, in Principem transtulit. Est conventio bilateralis inter Principem & rempublicam, iura & officia reciproca constituens. Nec aliud dicendum, ubi princeps armis imperio potitus est.

§. 1027.

Si princeps non est absolutus, plenus & patrimonialis, tum integra natio eo minus ei subest, quantum ne singuli quidem in omnibus eo casu potestatem ejus agnoscant.

§. 1028.

§. 1028.

Si in regno sunt status s. ordines, hi in juribus principi reservatis & singuli & coniuncti ei subsunt, in iuribus communicatis collegium ipsorum principi non subest, an populo subsit, ex speciali regiminis forma aestimandum est.

C A P V T LXXXX.

De Principe successore.

§. 1029.

Princeps successor est vel *regularis* vel *irregularis*. Ille ante, quam deferatur successio, nullam adhuc potestatem civilem habet, hic potestatem jam habet, licet successoris casus nondum adsit, sed quiescentem, & maxime conspicuum, ac subinde eminentem, ubi impeditus est Princeps regnans.

§. 1030.

Princeps successor, nisi aliud placuerit, est regularis.

§. 1031.

Princeps successor, irregularis quoque, vigente & valente antecessore, nec impedito, nullum jus potestatis hoc invito exercere potest.

§. 1032.

In principe successore regulari jam est majestas realis & personalis, quæ utraque regulari deest.

§. 1033.

Princeps successor regularis, intra territorium degens, subest principi regnanti. Irregularis in persona publica ipsis non subest.

§. 1034.

In collegio statuum possunt esse classes, sed jus naturale has proprius non definit.

CAPVT

C A P V T LXXXI.

De statibus seu ordinibus regni.

§. 1035.

Collegium statuum eadem ratione in juribus ipsi tributis exercendis repræsentat populum, qua id de principe dictum.

§. 1036.

Collegium statuum jura sua exercet in comitiis, & jus comitiorum est signum hominis inter ordines referendi.

§. 1037.

Probata qualitate Status regni, probata quoque est subjectio civilis ejus, qui ordinis signum gerit. Sed præsentia in Comitiis, & frequentatio corum, probata nec jus Status, nec subjectionem civilem demonstrat.

C A P V T LXXXII.

De vicariis.

§. 1038.

Vicarii regnum sunt, qui, principe ad tempus non existante, aut impedito, interim reipublicam gubernant. Dantur itaque vicarii, qui, imperio ad tempus principe suo privato, quod dicitur interregnum, & qui, principe impedito, locum ejus supplent. Unde vicarii interregni & alii.

§. 1039.

Vicarii interregni sua natura non sunt ejusdem juris, quod exercebat ordinarius Princeps. Adhibentur potius ad continendam compaginem reipublicæ, ne in orbitate dissolvatur, & detrimenti quid capiat. Unde quæ necessitas requirit, ita, ut, si conservanda sit salva reipublicæ navis, interim omitti nullo modo possint, ea exerceri possunt a vicariis, reliqua omitti debent. Id actum in constitutis vicariis. Alias non differunt a vero Principe, nec

nec opus foret, ut alius iterum eligeretur Princeps, qui in vicariis jam adest, si vera sunt, quæ alii docent. Potest tamen aliud ferre reipublicæ civilis constitutio.

Egregie hic docet Puffend. J. N. & G. L. 7. c. 7. §. 8.

§. 1040.

Vel unus, vel plures simul, vicariorum munus exercent, & ubi plures sunt, vel indevisim & conjunctim, vel disjunctim & separatis juribus aut regionibus, munus suum obeunt.

§. 1041.

Vicarii in interregno vel a populo in quovis casu constituuntur, vel lege fundamentali in perpetuum, ad id jus exercendum, jam constituti sunt certæ familiae viri. Cæterum in iis tantum regnis occurunt, ubi ab electione pendet successio.

§. 1042.

Principe impedito, in regnis quoque, ubi successio obtinet, occurunt vicarii, iisque v. g. locus est in æstate Principis minorenni, ubi tutelam ejus publicam, & hoc ipso temporarium reipublicæ regimen, gerunt vicarii. Idem ob absentiam, captivitatem, morbum animi vel corporis in principe, contingere potest.

§. 1043.

Tutelam successoris publicam ordinare potest antecessor, si regnum est patrimoniale. Alias populus de tutela publica interim providet. Ob alia impedimenta vel princeps eos eligit, qui vices suas gerunt, nisi impedimentum & in hoc obsit, vel populus sibi ipsi interim consultit. Princeps successor non habet jus quæsumum, Principis regnantis impediti vices supplendi, nisi sit irregularis. Idem dicendum de vicariis interregni.

§. 1044.

Potestas vicariorum hujus generis vel ex finibus mandati, si Princeps eos sibi substituit, vel ex reipublicæ salute & necessitate, judicanda, ubi a populo vices suas habent.

§. 1045.

§. 1045.

Vicarii interregni in republica libera, qui proprio jure vicariatum gerunt, dum durat vicariatus, regno, cui præsunt, non credendi sunt subjecti, donec aliud doceant leges fundamentales. Si autem quovis casu a populo eliguntur, aut vicariatus est finitus, non video cur non possint ad rationes vocari. Vicarii, impedito Principe constituti, de potestate exercita semper aut Principi aut populo respondent.

C A P V T LXXXIII.

De ministris regni.

§. 1046.

Officiales s. ministri publici in regnis sunt, qui partes regiminis reipublicæ sibi demandatas habent, aut assistunt iis, qui partes potestatis administrant.

§. 1047.

Si regnum non est plenum & absolutum, occurront duplicitis generis ministri publici, Principis scilicet & populi, illi in juribus principi relictis, hi in juribus, quæ penes populum resident.

§. 1048.

Differunt inter se, ut hanc vel illam regiminis publici partem gerunt. Præsertim sunt vel ministri status, purpurati, proximi a rege, vel alii. Illi, quibus omnes alii ministri subsunt, cum ipsis neminem nisi principem superiorem habeant. Hi reliqui.

§. 1049.

Principis ministri sunt ejus subditi. Ipsi vero sunt subditi, quos Princeps iis subesse jussit.

§. 1050.

Ministri tenentur ad rationes ei reddendas, a quo constituti. Ad hunc datur provocatio, si inqui quid statuet-

tuerint. Quando illicite agunt, pro una persona cum mandatore suo haberi nequeunt Vnde nec negligentia eorum obesse potest ei, a quo rebus praefecti. Cæterum obligant eum, qui constituit, quatenus limites mandati non excesserunt.

§. 1051.

Determinata pecuniae quantitas, quam minister accipit pro administratione officii generatim, non pro singulis operis, quos præstat, dicitur salarium publicum, id, quod pro singulis operis ipsi ab iis solvendum, qui opera ejus utuntur, habet nomen sportularum.

§. 1052.

Salarium cessat, si ministri officium est finitum, aut is exercendo muneri impar est. Sportulas exigere nequit, qui salarium habet, nisi speciatim & has exigendi jus ipsi concessum, tumque ab eorum quantitate publice determinata non recedendum.

C A P V T . LXXXIV.

De optimatibus, senatoribus & ministris in aliis rebus publicis.

§. 1053.

In aristocratiis sunt *Ordines*, *Optimates*, *proceres*, quales sunt ii ex civibus, quorum societas potestatem civilem, cum exclusione reliquorum, vel omnimode, vel magna ex parte, exercendi jus habet, sive aristocracia sit *pura*, sive ex democratia mixta.

§. 1054.

Collegium horum Ordinum in republica est, quod in regno princeps. Ergo, quæ de hoc supra dicta sunt, de optimatibus repetenda.

§. 1055.

In rebus publicis, quæ regna non sunt, solent esse *senatores*, qui sunt collegium eorum, quibus demandata *Weſph. jus nat.*

N

directio

directio reipublicæ, &, in rebus quotidianis & moram non ferentibus, communis salutis cura. Hoc collegium dicitur senatus reipublicæ.

§. 1056.

Senatus non est superior reipublicæ, & subest populo.

§. 1057.

Ministri in aristocratijs & democratij ejusdem juris sunt cum iis, qui in regnis constituuntur.

§. 1058.

Ubi aristocracia ex democracia mixta est, sunt & optimatum ministri & populi.

C A P V T LXXXV.

De membris rerumpublicarum compositarum.

§. 1059.

In rebus publicis compositis membra s. cives sunt duplices generis, immediata, quæ tantum subsunt potestati reipublicæ majoris, mediata, quæ proxime reipublicæ minori subsunt, & per gradus tantum etiam superiori.

§. 1060.

Principes & procerum collegia in rebus publicis minoribus sunt subditi reipublicæ majoris. Reliqua membra rerumpublicarum minorum proxime sunt subditi in his, per gradus tamen etiam in republica majore.

§. 1061.

In pugna utriusque subjectionis membra mediata arctius obligantur reipublicæ suæ minori, quam majori.

CAPVT

C A P V T LXXXVI.

De modis acquirendi & amittendi jus civitatis.

§. 1062.

Civis proprius fit tantum per receptionem. Qui natus est ex cive, ei potest quidem respublica legē sua statim jus civitatis concedere, sed officia civis & obligationem manendi in republica, ubi natus est, nemini imponi ob nativitatem possunt.

§. 1063.

Civis jura amittuntur 1) ex existente republica, 2) juris civitatis resignatione, 3) exclusione. 4) Exemptione passiva & activa, si tertius aliquos suae potestati civili invitatos subjicit, aut in suam potestatem ex alia sponte transeuntes recipit, aut ab omni potestate civili se exuant, qui antea eidem cum aliis imperio suberant.

§. 1064.

Si civis vel incola domicilium aliorum transfert ex territorio, fit emigratio, si domicilium sponte ita mutat, ut in eodem territorio maneat, transmigratio, si auctoritate & iussu superioris id facit, transplantatio.

§. 1065.

Si cives aliqui ita a republica sua cum hujus voluntate separantur, ut in aliam potestatem civilem transeant, fit alienatio subditorum, si non transferuntur in potestatem civilem alterius, est emigratio necessaria, s. expulsio.

§. 1066.

Juri civitatis renunciare & e republica exceedere cuivis permittendum, nisi urgens salutis publicæ ratio aliquid suadeat. Transmigratio eo magis cuivis integra esse debet.

Puffend. J. N. & G. L. 8. c. statuit, etiam catervatum
ii. §. 4. contra Grotium discedi posse.

§. 1067.

Excludere cives licet, sive justa caussa adsit, sive nulla, quamvis posteriore casu non lædatur quidem expulsus, lædatur tamen respublica, cui, carere absque caussa bono cive, semper noxiū est.

§. 1068.

Alienare potest subditos, qui potestatem patrimonialem habet.

§. 1069.

Transplantatio absque urgentissimis caussis boni publici non injungenda civibus.

C A P V T LXXXVII.

De modis quibus princeps jus suum principis acquirit vel amittit.

§. 1070.

Princeps regno potitur per successionem vel hereditariam, vel singularem, & vel perpetua lege sanguinis stabilitam vel per dispositionem antecessoris delatam.

§. 1071.

De successione in regno nihil speciatim dici quidem potest, quod in quavis alia successione non idem esset. Notandum tamen, ordinem succedendi hic vel definire populum, vel in regnis patrimonialibus principem, qui talem tamen succedendi ordinem eligere debet, qualis regno non noceat, quod v. g. frequentibus divisionibus certissime fieret. Præterea si nemo superfit, qui succeedere possit, non cuivis obvio, occupaturo, patet imperium, sed potestas redit ad populum, qui Principem nunc eligit, quem lubet.

Regulæ multæ de successione
in regna sunt ap. Wolf. J.
N. Tom. 8. §. 301. seqq.
quæ omnes arbitriaz. Non
possunt tum a compage rei-

publicæ desciscere singuli
invitis reliquis Puffend. J.
N. & G. L. 7. c. 7. §. 9.
Quis sit jtidex in controver-
sa successione l. c. §. 15.
§. 1072.

§. 1072.

Ex successōnis diverso modo oritur distinctio inter regna successoria & electitia, quibus mixta adduntur, ubi sine justa causa ab ordine sanguinis non receditur, causae tamen cognitio in omni successōnis casu praecedit, & successor non improbatus, per figuram electionis, quovis casu confirmatur.

§. 1073.

Jus eligendi in regnis electitiis est apud populum, aut eum eosve, quibus a populo concessum, qui tum *electores* dicuntur.

§. 1074.

Si per electores electio suscipitur, observandum ab his est, ut talem eligant, qui reipublicae profit, non oblit, alioquin agnoscere non tenentur eorum electionem reliqui.

§. 1075.

Si talis successor vivo antecessore eligitur, qui vi gente & valente antecessore in hujus injuriam se imperio intromittere nequeat, non opus est Principis regnantis consensu.

§. 1076.

Successor singularis quoque in imperio tenetur omnia ab antecessore gesta agnoscere, quae ille in persona publica intra limites potestatis suae suscepit.

Quando de renunciatione successōni in dispensum posterorum facta ejusque va-

lore queritur, distinguunt inter natos & nascituros
Grot. L. 2. c. 7. §. 26. aliquē.

§. 1077.

Ubi ex sanguine succeditur, ibi est stirps regnatrix, qua extincta potestas ad populum reddit. Quo facto, nisi in perpetuum in idem imperium facta sit proviuciarum unio, singulæ possunt aut in novam stirpem, idemque imperium continuandum, consentire, aut, si omnes consentiunt, in aliam subjectionis faciem, dismembrationem ve vertere consilia.

§. 1078.

Possunt regna etiam cessione acquiri, si sunt patrimonialia; aut, si non sunt, tum saltim, si populus consentiat.

§. 1079.

Occupatione regna non acquiruntur, nisi ex iusta belli causa, & subjectione per modum pacis secuta, aut alio modo, accedente sine bello populi consensu libero, aut ubi loca hominibus vacua sub imperium rediguntur, ibique hominum domicilium stabilitur.

§. 1080.

In casu successionis nec inauguratio solensis, nec homagium, quod est subditorum juramentum, quo subjectionem civilem promittunt, nec jurata principis sponsio, qua leges fundamentales confirmat, sunt necessaria.

§. 1081.

Qui imperio illegitime potitus est, dicitur *usurpator s. tyrannus*. Plures, qui de imperio, ex jure, quod sibi tribuant inter se certant, *aemuli s. competitores* regni audiunt.

Invasore, qui regnum aliquam-
diu tenuit, depulso; acta
ejus cum exteris consistunt,
cum civibus relinduntur
Puffend. J. N. & G. L. §.
c. 12. §. 3.

§. 1082.

Si quis vi invadit imperium, nulla plane iuris ne specie quidem adjutus, non tantum resistendi jus habet populus, sed &, si per vim vere suppressit libertatem tyrannus, & subjectionis promissionem extorxit, numquam legitimus fit regni possessor, sed prima data opportunitate se in libertatem vindicare poterit populus. Quodsi dubium quodammodo erat invasoris jus, tumque subjectione per compositionem secuta est, ex natura pacis, & gentium jure, aestimanda conventionis validitas. Vbi legitimum Principem hejicere tentat tyranus, populus suo Principi auxilium debet, & juris sui defensionem. Si vis tamen invasoris prævalet, & resistere amplius nequit populus, illicite non agit,

agit, quando tyranno se subjicit, manet is tamen perpetuo tyrannus &, quæ ab hoc gesta, semper nullitate laborant, atque acta ejus suo tempore rescinduntur.

§. 1083.

Inter æmulos regni facta transactione, eum agnosceret debet populus, quem alter æmulorum agnoscit. Lite inter eos nondum transacta, ubi neuter in possessione est, neutri adsistere potest populus contra alterum, nec potest illum in regni possessionem vocare. Si alteruter yi invadit possessionem, potest quidem, non tenetur tamen, resistere populus. Si ante ortam litem alter æmulorum jam in possessione fuit, huic adsistere debet populus, donec alter jus melius docuerit, aut bello orto victor evaserit. Si alteratio æmulorum justo diutius continuetur, & funesta sit populo, cum ejusque devastatione ac ruina conjuncta, tum potest jure suo uti populus, & vel alterutri eorum, altero repulso, se addicere, vel tertium eligere, utroque æmulo rejecto & excluso.

§. 1084.

Principis regnantis imperium desinit 1) per regni interitum 2) mortem 3) ejectionem ab alio legitime factam 4) dethronisationem vel depositionem, quarum illa est admittio potestatis a populo facta, hæc, quæ sit a superiore 5) abdicationem, qua princeps sponte renunciat potestati civili, quod, si tacite sit, regni derelictio dicitur. 6) Alienationem imperii.

§. 1085.

Abdicatio a principe fieri ex arbitrio potest, incassum contradicente populo, nisi renunciatio intempestiva sit.

Wolf. J. N. Tom. 8. §. 320. Imperium sine consensu populi regno electiva rex immo abdicare nequit.

§. 1086.

Depositio fieri potest in poenam male administratae potestatis, aut ob facinus erga rem publicam superiore admissum.

§. 1087.

Principem imperio privare potest populus, si vel limites concessæ potestatis manifesto transgreditur, ut falsa reipublicæ eo regnante ulterius stare nequeat, vel ini-doneus impotensque est tuendis subditis, qui ab aliis infestantur, ita ut, sibi relieti, præsidio alio qualicunque fea rui-na sospites servare cogantur.

Si Princeps, quasi cum deseritoribus aut rebellibus tran-

sigit, conventio illis servanda est Grot. L. 3. c. 19. §. 6.

§. 1088.

Si nonnullis regionibus injuria insertor, haæ solæ se subducere possunt, reliqui in fide manere debent.

§. 1089.

Si ultra limites potestatis progreditor princeps, nec tamen ad remotionem res adhuc matura est, obsequium interimi tameu denegari, et resisti iniquæ tyrannidi, potest.

§. 1090.

Principis successoris jura iisdem modis exstinguantur, quibus principis regnantis, & accedit casus successionis, quo contingente, ex successore fit princeps regnans.

§. 1091.

Captivitas principis regnantis, & furor vel dementia ejus, imperium illi non admunt, nisi interveniant ea singulæria reipublicæ fata, de quibus jam dictum, ubi sibi quamvis ex naufragio tabulam arripere satius est.

C A P V T LXXXVIII.

*De modis, quibus oprimates senatores & ministri sunt,
& conditionem suam amittunt.*

§. 1092.

Ordinum regni jura acquiruntur vel originarie, si nunc primum ordines in regno invehuntur, cum antea defuerint, vel derivative, si ordines jam habuit respublica, & nunc tantum alii in aliorum locum intrant.

§. 1093.

§. 1093.

Derivatus ad hoc jus adipirandi modus vel est electio vel successio..

§. 1094.

Populi est, dum Ordinum jus inducitur, per leges fundamentales statuere, qualis modus servari debeat, replendi loca decedentium Ordinum, quis numerus, quæ qualitas, quæ diuturnitas Statuum sit.

§. 1095.

Regno semel constituto, Princeps in iis, quæ semel stabilita sunt, nihil mutare potest. Ordinibus quoque non facile aliquid mutare licet. Populus tamen, cum consensu eorum, quorum interest, aut, ubi alterius non interest, solus nutabit, quæ videntur.

§. 1096.

Statuum regni jus exspirat. 1) morte 2) regni interitu 3) mutatione formæ imperii 4) resignatione 5) exclusione 6) terrarum, quibus hoc jus inhæret amissione. Resignationi tamen contradicere potest Princeps aut populus vi potestatis eminentis.

§. 1097.

Optimates in aristocratiis jura sua consequuntur, ut ordines in regnis, &c, quæ de constituendis & mutandis statuum juribus dicta, ea etiam hic repetenda sunt, idemque de modis, quibus Status jure suo excidunt, dicendum est. Nec alia de Senatoribus tenenda.

§. 1098.

Officia sunt vel hereditaria vel personalia. Illa vel ad jura certæ familiæ pertinent, vel sunt jura prædiis inhærentia. Hæc nec in hæredes, nec in possessores prædiorum, transfeunt.

§. 1099.

Hereditaria acquiruntur successione vel prædiis acquisitione, personalia nominatione & vocatione. Immissio in possessionem officii utrobique obvia.

§. 1100.

Ministri officium desinit 1) morte ministri, 2) dimissione ejus, s. renunciationis officio factae approbatione, 3) translatione s. promotione ad aliud officium, 4) remotione s. depositione, i. e: privatione officii, ministro invito facta.

C A P V T LXXXIX.

*De officiis, quibus tenetur superior erga subjectam sibi
republicam.*

§. 1101.

Superior reipublicæ & jura & officia habet. De juribus mox pluribus. Officia ejus generatim sunt, 1) limites sibi præscriptos ad amissim servare, 2) potestatem civilem non in suum, sed reipublicæ, commodum exercere 3) omnia providere, quæ reipublicæ & singulis prodeesse possint. 4) jura reipublicæ salva & integra servare, 5) officia reipublicæ sua officia putare. Respublica debet sibi, quæ homo sibi debet. Hæc officia subit princeps. Est patris instar, qui potestatem in liberos exercendi non tantum jus, sed & officium habet. Leges, quas condit, sint sapientissimæ, & quam minimum molestæ. Nihil effugiat aciem principis, quod usquam geritur, & correctione egat. Omnia, quæ salutaria sunt, promptissime expediantur. Justitiæ administratio sit facilis, exili pre-tio emenda, sapiens, incorrupta, efficax. Virtuti suus sit honos, religioni cultus, vicio & criminis vituperatio & supplicium, pupillis defensio, egestati a fame præsidium. Florent pacis & belli studia. Adsit, quod necessitatem adjuvet, nec amoenitas voluptasque desideretur, quibus ad seria acuitur animus. Nimis ne onerent, quæ in publicum conferenda. Bene administretur ærarium, nec ad avaritiam parcus sit princeps, nec ad prodigalitatem liberalis. Bellum aversetur, ut internecinum malum, nec tamen, ubi defensio necessaria, ad armorum ionitum trepidet, sed gladii jus decusque tueri noverit.

CAPVT

CAPVT C.

De potestate civili generatim & rectoria speciatim.

§. 1102.

Partes potestatis civilis sunt vel *generales* vel *speciales*.

Illæ nullam certam salutis publicæ partem concernunt, hæ ad certam partem referuntur.

De Aristotelis arte *μεχιστεκταν-* δικαισικῆ, Grot. J. B. & P.
κῆ, πολιτικῆ, βαῦλιντεκῆ,
L. I. c. 3. §. 2.

§. 1103.

Partes *generales* sunt *rectoria*, *inspectoria*, *executoria*.

§. 1104.

Potestas *rectoria* definit, quid salutis publicæ canſta fieri vel omitti debeat. Quæ, circa abusus, saluti publicæ contrarios, qui inoleverunt, tollendos speciatim exercitæ, dicitur potestas reformandi. Comprehendit 1) potestatem legislatoriam, quæ statuit regulas actionum, quarum quædam regula sunt, quædam exceptions ab hac regula. Postiores *jura singulare* dicuntur. 2) *potestatem mandandi*, quæ singulis agendum quid injungit, aliasque condendi *constitutiones speciales*, i. e. tales, quæ immediate singulares homines concernunt, quorsum *privilegia*, quæ jus extraordinarium homini singulari in genere aliquo casuum indulgent, *dispensationes*, quæ a legum observatione liberant in casu aliquo prostante & futuro.

§. 1105.

Exercentur hæc jura omnia potestatis *rectoriæ* interdum ita, ut per modum litterarum ad aliquem dirigatur voluntas principis, tumque oriuntur *rescripta*. Hoc accidere solet in reliquis præceptis, quæ, præter leges, memoravimus. Sed in legibus quoque ferendis non infrequens hæc ratio, licet forma dirigendi voluntatem ad universos hic frequentior sit, unde edictorum nomine. Authentica legum interpretatio est jus superioris, & si regu-

regulis dialepticis non est conformis, pars potestatis legislatoriae.

§. 1106.

Potestas legislatoria comprehendit ius leges peregrinas recipiendi, leges mutandi, abrogandi, iis derogandi, obrogandi, retorsione jurium utendi, i. e. applicandi easdem leges ad subditos alienæ reipublicæ, quæ ibi, eodem casu, applicarentur in detrimentum subditorum reipublicæ nostræ.

§. 1107.

Leges non debent extendi ad ea, quæ potestati civili non subsunt, vel quia reipublicæ non interest, vel quia coactionem respuant, vel quia bono publico contraria.

§. 1108.

Jus privilegiandi, si privilegium reliquos cives onerat, & dispensandi, exercendum tantum per modum potestatis eminentis.

Wolf. J. N. Tom. 8. §. 867. materia non nisi masculis. Privilegium, persona & ha- Grot. censet privil. quædam redibus simpliciter datum, non posse revocari, quædam intelligitur datum, nisi de fecus L. 2. c. 14. §. 13. scendentibus, & pro substrata.

§. 1109.

Leges superioris possunt, ut dicitur legibus naturalibus addere & detrahere, non vero eas tollere. Sed quomodo in casu obvio tollendi jus a facultate addendi vel detrahendi differat, plerumque obscurissimum est. Qui enim tollit, detrahit, qui addit & detrahit, tollit. Hinc rejicienda merito universa regula & dicendum ingenue: In omnibus leges naturales possunt mutari per leges superioris, in quibus publicæ salutis ratio, ex ingenio populi, situ regionis, alijsve caussis petita, mutationem jubet. Legibus obsequium debent subditi. Sed alio modo eas agnoscunt incolæ, alio forenses, alio temporarii, de quo supra.

§. 1110.

§. IIIO.

Legibus per pacta subditorum potest derogari in iis, quæ in favorem, utilitatem, commodum singulorum in casu obvio vergunt. Suis enim commodis quivis renunciare potest. Legibus vero, quæ, publici & universorum commodi causa, jubent vetantue, conventionibus singulorum ægre detrahitur.

§. IIII.

Potestas mandandi eosdem habet limites cum potestate legislatoria.

§. III2.

Si ad exequendum mandatum, vel generatim rescriptum, periculum in mora est, promptissime illud implendum. Si autem in mora periculum non est, & vel ex errore superioris profectum esse appareat, vel iniqui quid, aut bono publico contrarii contineat, non potest tantum is, ad quem directa sunt, sed & tenetur, executionem suspendere, dubio sibi suborto ad superiorem referre, & ulteriora mandata exspectare. Quo facto, si voluntati suæ insitat Princeps, nec manifeste illicita & intoleranda injungat, jussui obsequendum.

§. III3.

Rescriptis ad preces emissis tacite ineſt clausula, si preces veritate nitantur, unde iis obstat sub- & obreptionis exceptio, quam vel attendere debet magistratus, si contra salutem publicam aut leges prohibitivas præceptivasque est rescriptum, vel is, quem lædit, allegare, si privatis tantum commodis adversum est, quo casu magistratui nulla ejus cura incumbit, sed læsi est, sibi vigilare & veriora ad principem deferre, ac rescripti mutationem supplicando querere.

§. III4.

Licet decreta, quæ Princeps edit in controversiis ci-vium, sententiarum species sint, non legum, oriuntur tamen inde per consequentiam leges, si quæstionem juris dubiam decidunt, quo casu ad similes species merito proferuntur.

CAPVT

C A P V T . C I .

De suprema inspectione superioris.

§. III 5.

Potestas inspectoria s. suprema inspectio est potestas inquirendi in ea, quæ in republica suscipiuntur, ut appareat, an bono publico contrarium quid fiat, nec ne.

§. III 6.

Continet 1) jus visitandi, i. e. in re præsenti examinandi rerum conditionem, etiam per modum perscrutacionis domesticæ. 2) Jus exigendi rationum redditionem ab administratoriibus bonorum publicorum privatorum vero, tum tantum, quando sub mala earum administracione salus publica periclitatur, aut ii, quorum interest, non possunt sibi ipsis exigendo has rationes consulere. 3) Injungendi confirmationum judicialium aliarumque necessitatem 4) revelationem arcanorum, quæ habent subditi, exigendi, si publice interest, hæc arcana non ignorari. 5) Relationes postulandi. 6) Inspectores & delatores constituendi.

§. III 7.

Ad prodenda arcana, quæ, salute publica salva, in obscuro delitescere possunt, superior injuste cogit subditum.

C A P V T . C I I .

De potestate exequendi.

§. III 8.

Potestas executoria est, qua curatur, ut effectum habeant, quæ, boni publici caussa, statuta sunt.

§. III 9.

Comprehendit 1) jus exequendi proprium, quo per vim coguntur ii, qui debent, ut debitum satisfaciant. 2) jus federum, quo pacta reipublicæ nomine cum exteris gentibus conduntur, 3) legationum, quo, negotiorum publici-

publicorum tractandorum causa, ad alias gentes mittuntur mandatarii, 4) de officiis, institutis, & actibus publicis decernendi, 5) committendi, i. e. extra ordinem aliquem constituendi ad certi negotii expeditionem, 6) jus honoris, existimationis & dignitatis. 7) Jus puniendi, de quo in jure criminali.

§. 1120.

Superioris est, 1) nova officia publica erigere, introducta abrogare, limites cuiusvis definire, subjectionis gradus inter eos stabilire. Ea tacite officiali concessa habentur, sine quibus officio suo satisfacere nequit, nisi aliud actum appareat.

§. 1121.

Superior 2) omnes officiales optat & constituit, nisi officium sit hereditarium. Si defunt alii, qui sponte officium subire velint, & satis idonei sint, ii ex subditis, in quibus capacitas deprehenditur, ad suscipiendum officium cogi possunt.

Grot. L. 2. c. 6. §. 10. putat populi consensu concedere Principem non posse sine functiones civiles perpetuas.

§. 1122.

Non est poscendum a quoquam, ut gratis officium publicum subeat, sed omnibus ministris salary sunt constituenda.

§. 1123.

Superior 3) removet & transfert ministros publicos, 4) exspectativas intuitu munerum nondum vacantium concedit, & ministris infirmioribus alios adiungit. 5) Dimissionem ministris potentibus indulget.

§. 1124.

Subdito potest denegari dimissio ex ratione salutis publicae, exterо autem non facile, nisi ad certum tempus, se adstrinxerit, idque nondum praeterierit.

§. 1125.

§. 1125.

6) Rationum reddendarum & juramentum quo fides in officio promittitur, arbitrio superioris subest.

§. 1126.

Singula negotia committi possunt huic vel illi extra ordinem, et si sub officio ordinario alterius sint comprehensa, modo ratio aliqua boni publici principem permoveat.

§. 1127.

Si plures nominati sunt commissarii, unus absque altero nihil facere potest, nisi constituti sint cum clausula solidum.

§. 1128.

Princeps definit 1) ordines civium, seu classes & honorum gradus, per nativitatem transferendos, 2) dignitates, i. e. præminentias, ad vitam tantum, singulis tributas, 3) præcedentiam. 4) Indulget legitimationem iis, qui macula notati, ut hæc abstergatur.

C A P V T C III.

De partibus potestatis civilis specialibus, praesertim potestate bellica.

§. 1129.

Partes speciales potestatis civilis sunt potestas bellica, politica, cameralis, & judiciaria.

§. 1130.

Potestas bellica est, quæ versatur circa rem bellicam sive, quæ securitatem publicam concernunt.

§. 1131.

Hæc partim ad jus publicum, quatenus ad subditos refertur, partim ad jus gentium pertinet, quatenus intuitu exterorum jura huc spectantia exercentur. Quando vero milites simul ad tranquillitatem publicam custodiendum adhibentur, id non tam ad rem bellicam, quam ad politicam spectat.

§. 1132.

§. 1132.

Superior, orto bello, omnia, quæ ad id prudenter gerendum pertinent, ordinat & providet, cæterum ea & in bello & in pace agit, quæ ad subsidia belli necessaria sunt.

§. 1133.

Inde habet 1) jus milites legendi s. conscribendi. *Milites* sunt homines ideo assumti, ut præstent operas, quæ in vi bellica exercenda consistunt. Sunt vel *terrestres*, vel *navales*, vel *letri*, vel *mercennarii*. *Leti* sunt subditi, qui vel pro mercede vel gratis militant. *Merces* merito omnibus constituenda. *Mercennarii* proprie sunt exteri, qui tantum stipendiū merendi caussa se conscribi patiuntur.

§. 1134.

2) Jus sequelæ armatæ, s. jus subditis quibusvis, etiam iis, qui milites alias esse & fieri non solent, ob necessitatem, mandandi, ut arma capiant adversus hostem.

§. 1135.

3) *Excusoribus* maritimis & terrestribus publicam auctoritatem concedendi. Sunt autem hi tales, quibus facultas conceditur, suo sumtu & lucro separatim vim contra hostem exercendi. *Piratæ*, *corsari*, *milites latrocinantes*, ab illis distincti, sunt, qui vel privata auctoritate sui lucri causa in exteris grassantur, vel saltim absque justis ex jure gentium causis animo lucrificiendi vim erga exteris exercent, licet auctoritate reipublicæ suæ latrocinantis id faciant.

§. 1136.

4) Naves & classes armandi. 5) Arces muniendi & instruendi, 6) jus præsidii, i. e. in certis locis habendi milites perpetuo ibi consistentes ad eorum defensionem contra hostem. Milites ita dispositi vocantur præsidiarii. 7) Jus exercitum in suas classes distribuendi. 8) Armentaria, granaria, æraria militaria instituendi &c.

Westph. jus nat.

O

§. 1137.

§. 1137.

Arbitrari debet Princeps, an satius sit, militiam habere perpetuam, an temporariam, leghtam tantum, an simul mercenariam. Idem militum numerum, mercedem, vestitum, annonam, arma, armorum usum, loca, ubi consistere debent milites, determinat.

§. 1138.

Superior cogere potest subditos ad militiam, si flent, qui sponte stipendia mereri volunt.

§. 1139.

In casu necessitatis superior juste utitur *sequela armata*.

§. 1140.

In bello gerendo ipso superioris est 1) bellum decernere, 2) annunciare s. indicere, 3) publicare, ut ad omnium subditorum & exterorum scientiam res deferatur, 4) avocatoria & dehortatoria emittere. *Priora* sunt iussus, ne subdditi ipsi in militia hostili stipendia faciant, *postiora*, ne subsidiis bellicis aut alio modo hostes adjuvent. Utraque superflua sunt, cum & absque iis per rei naturam idem interdictum sit, quod hi iussus vetant.

§. 1141.

Commercium cum hostibus, quo bellum non instruitur vetitum non est.

§. 1142.

Species licitarum hostilitatum exercendarum definit superior, nominat eos, qui belli operas, itus, redditus, aggressiones, acies, dirigant, stativa, hyberna aliaque præcipit.

§. 1143.

Idem pacem decernit, pangit, publicat, exsequitur.

§. 1144.

In definiendo militum numero & reliquis superior attendat reipublicæ suæ utilitatem, non gloriæ, vincendi, fines

fines imperii ampliandi, cupidinem. Si, ob vicinarum gentium potentiam suamque infirmitatem, parum ipsi prodest, & subditos tantum onerat, militia splendida & ambitiosa, ab hac abstinendum & intra modicritatem subsistendum est.

§. 1145.

Ad militiam aut non cogendi, nisi qui aliis reipublicæ commodis, ad quæ pauciores idonei, servire nequeunt, aut militibus, ut aliis simul operam dent, quæ ingenium dexteritatemque postulant, injungendum. Necessitas excepta.

§. 1146.

Bellum, tantum, ubi evitari nequit, decernendum, & quamprimum cum publicis commodis fieri potest, aut rationes consilii id suadent, finiendum, extra limites territorii, quantum fieri potest, proferendum, & a finibus territorii hostis arcendum.

§. 1147.

In ipsis expeditionibus bellicis sanitati & vitae militum parandum. Iis, qui in pugnando mutilati aut alio modo ad vitam tolerandam inidonei facti sunt, missione impetrata de vita sustentatione providendum.

§. 1148.

Superior militibus prescribit leges s. articulos militares. Exemtiones a necessitate militandi, a metatis, & alia privilegia ac jura singularia indulget. Dat mandata bellica, officia bellica specialia, collegia bellica, praefectos superiores & inferiores ordinat, concionatores, chirurgos, judices castrenses, annonæ militaris curatores, lixas mercatoresque, exploratores, i. e. eos, qui clam & aliud simulando in hostium copias se insinuant, ut de rebus hostium cognoscant, & ad mittentem referant, & si qua alia; provide jure metationis utitur, quæ ad nitrum parandum pertinent, curat, ad persecutionem desertorum militiæ subditos evocat, & equis corum in eundem finem utitur, equitatus caussa equos necessarios etiam a subditis conquiri,

rit, annuas militum visitationes ac solenniora exercitia instituit, aliis autem temporibus in armis sedulo eos exercet, equos militiae equestris in praedia subditorum pabulatum mittit, cantonatus regit, emeritis prospicit, scholas militares etiam, judicia & officia militaria erigit. Fœderata belli jungit.

§. 1149.

Milites & reliqui militibus inservientes sunt ministri publici, unde ex natura aliorum officialium de iis judicandum.

§. 1150.

Subditis, praeter milites, possunt, tempore belli, arma a superiore adimi, quibus aut contra hostem illicite uti possent, aut quæ hosti possent prodeesse ad instruendas suas copias. In pace, reddenda arma, & omnia subditis indulgenda, quibus ad defensionem contra grassatorem opus est, alia autem arma aut munimenta non permittenda, quæ contra hostem tantum prodeesse possunt.

§. 1151.

Potest quidem subditus etiam extra patriam militare, sed integrum est superiori, hanc subditorum licentiam, si publice nocet, restringere.

§. 1152.

Miles, qui non simul civis est, non potest cogi ad personam exploratoris agendum. Civis vero id munus, si necessitas adest, declinare nequit.

CAPUT CIV.

De potestate politica.

§. 1153.

Potestas politica est, quæ versatur circa rem politicam sc. ea, quæ concernunt vitæ necessitates.

§. 1154.

§. 1154.

Innumera sunt in hoc contenta jura, unde potiora tantum delibabimus. 1) Intuitu subditorum numeri, indolis, loci, ubi habitant, superiori jus est, eos transplantare, si inæqualis est eorum per territorium dispersio, præsertim ubi artis periti certi generis passim superflui, passim nulli aut justo pauciores sunt. 2) Vagabundos, circumforaneos molestos, mendicos aliosque noxios homines expellere, iisque ingressum in territorium prohibere. 3) Nonnullis, qui, aliis intermixti, his graves forent, separata loca & disjunctas habitationes adsignare. 4) Sobiles legitimam procreationem omni modo promovere, constitutis præmiis poly-pædias, privilegiis connubiorum, monogamia, pœnis cælibatus, abolendis institutis, quæ cælibatum secum ferunt, &c.

§. 1155.

2) Intuitu quæstus & commerciorum, Principis est (1) quæstum noxiū plane prohibere. (2) Nonnullas quæstus species restringere ad certa loca, v. g. urbes, ad certos homines, qui jus prohibendi in collegio aut aliter exercant, & qui certis qualitatibus præscriptis instructi sint, nec non ad certum pondus æstimationemque observandam (3) Alios quæstus salutares promovere privilegiis & præmiis, aliisque institutis, ut nundinis.

§. 1156.

3) Intuitu studiorum, 1) prohibere potest, ne promiscue omnes ad studia animū appellant, quia ingenia, ad hæc adyta non nata, ab iis arcenda, & abundantia nimia litterarum cavenda, 2) scholas, gymnasia, academias instituere iisque invigilare; 3) Nominare disciplinarum artium & litterarum magistros curatoresque, 4) Ad litterarum studia incitare, investis honoribus academicis, præmiis laborum inter æmulos optimorum, qui ad litteras pertinent, propositis, immunitatibus eorum, qui docent, cautione, ne deliciis nimis loci aut tædiis a cultu litterarum abstrahantur, distribuendo disciplinas separatas, & singulis fin-

gulas adsignando, 5) peregrinationes litterarias prohibere, restringere, aut promovere, (6) jubere discentium examina (7) docendi regulas præscribere (8) Stipendia litteraria publice conferre iis, qui ingenio valent, opibus autem destituantur, privatorum quoque stipendiorum curam habere, ut bene vertantur & adininistrentur.

§. 1157.

4) Intuitu sanitatis, (1) irrepentibus morbis contagiosis obviam ire, inclusione locorum, medicamentis promulgatis, aliove modo (2) de medicis, chirurgis, obstetricibus, pharmacopolis peritis & pharmacopoliis instructis, providere, & venenorum aliarumque rerum periculosarum promiscuam venditionem interdicere (3) sepulturas ita moderari, ne justo citius aut tardius terræ mandentur cadavera, ut extra hominum frequentiam efferantur, uno in loco publico collocentur, scrobesque justæ profunditatis habeant. (4) res vitæ & sanitati noxias extirpare, earumque commercium cavere, lanionibus in vendendis carnibus corruptis invigilare, pestifere adulterata vina effundere, adulteratoresque punire, bestias noxias persequi & necare, 5) ab aliorum consortio removere, qui aliorum sanitati possunt nocere, morbo, terrore per adspectum incusso, opificii foetore, 6) aquæ, annonæ, cerevisiæ, vini, obsoniorum, lignorum copiam & bonitatem curare, eorum frugumque culturam præcipere, præmiisque promovere, molendinorum curam habere. Horum exstructio tamen privatis quoque permitta, si publicum flumen non mutetur. Est autem flumen publicum, quod navigabile est, aut aliis commodis publicis inservire potest.

§. 1158.

5) Intuitu viarum & ædificiorum, 1) curare exstructiōnem & refectionem necessariam 2) instruere vias publicas iis, quæ ad iter facientium necessitatem, commoditatem & securitatem faciunt. Unde jus conducendi popinasque instituendi. 3) viarum & platearum commoditati consulere 4) ædificandi arbitrium in exstruendo, reficiendo, restaurando, destruendo, circumscribere, ne justo altius aut arctius

arctius, sine interstitiis, aut ex materia, quæ facile ignem concipit, ædificetur.

§. 1159.

Intuitu damnorum, quæ casu accidere possunt, (1) incendia præcavere, eorum facilem restiuationem curare, &, ut succurratur læsis, consociationibus eam in rem factis providere, (2) excubias variij generis nocturnas contra fures & raptore disponere, lumen publice per noctem in viis publicis aut plateis accensa jubere, nec negligere visitationes locorum publicorum, poenas criminorum rigorosas, suspectorum ejctiones, ergastula aliaque opera publica, (3) lis, qui summa egestate deprimuntur vitæ necessaria, aut vitæ tolerandæ media, suppeditare (4) periculose posita & suspensa tolli jubere (5) animalia noxia inter hominum frequentiam ali prohibere (6) lumen pecorum graffantem a finibus arcere (7) usum armorum, quo subditis se lædere possunt, circumscribere.

§. 1160.

Intuitu rerum privatarum, aut, quæ ad neminem pertinent, (1) curare, ut luxu himio in epulis, vestimentis, modus ponatur, conditis legibus sumtuariis, (2) ludos fortunæ prohibere aut restringere, (3) prodigos administratione bonorum interdicere iisque curatores dare, (4) privatæ compotationes, libidinum & intemperantiæ conformatia, præscindere (5) ferarum conservatiōni studere.

§. 1161.

(6) Intuitu temporis, ponderum, mensurarum & numorum, (1) æram statuere (2) anni initium ponere (3) mensibus & diebus nomina dare. (4) Fastos regere, emendare, intercalrae, & omnia in iis definire, suisque diebus adsignare, quæ publice nota esse debent. (5) Pondera & mensuras statuere, & corrigere, (6) Pecuniam seu corpuscula publice signata, per quæ rerum quarumvis aliarum æstimatio determinari possit, cedere, signum ejus determinare, falsas monetas præcavere, monetas improbas aut prohibere, aut ad justum pretium revocare,

de proba, & tam grandiore, quam minutiore, moneta reipublicæ prospicere, ejusque sufficientem quantitatem comparare.

§. 1162.

9) Intuitu pauperum (1) prohibere ne mendicent, qui laborare aut aliunde se sustentare possunt (2) vere indigentes, qui vitam nullo modo tolerare possunt, sumptibus publicis alere.

§. 1163.

Quamvis libertas naturalis, variis modis, ex rei politicæ rationibus, circumscribi possit, quatenus tamen nondum circumscripta est, integra manet.

§. 1164.

Superior, intuitu politiæ, fert leges politicas, varia instituta invehit, quæ ad rem politicam pertinent, ptochotrophœa, orphanotropœa, xenodochia, montes pietates, granaria, bibliothecas publicas, medicorum superiora & inferiora collegia.

§. 1165.

Si hominibus singulis aut integris societatibus in republica concessa est juris politiæ pars, hæc dicitur politia subordinata, opposita potestati politicæ eminenti principiis.

§. 1166.

Subordinata potestas politica, per modum muneris publici cuiquam credita, facit ministros politiæ, unde officia politiæ oriuntur, vel in collegio vel sigillatim administranda.

§. 1167.

Jus politiæ subordinatum qui sibi adserit, id collatum esse probare debet.

CAPVT

C A P V T C V.

De potestate camerale.

§. 1168.

Potestas cameralis est, quæ versatur circa rem cameralem, scilicet spectat ad bonorum publicorum sufficientem copiam, omnesque res in territorio obvias, quatenus, inde aliquid ad bona publica, seu ad lucrum reipublicæ est transferendum.

§. 1169.

Rei camerali inserviunt tam res, quæ in publico dominio sunt, quam res & operæ privatorum, & quæ dominum peculiarem non habent.

§. 1170.

Res, quæ, extra rempublicam, nullius in dominio forent, ejusdem indolis etiam in republica manent, donec in dominium publicum redigantur, quamvis facilior sit earum ad publicos usus translatio, quam rerum ad privatos pertinentium.

§. 1171.

Omnia, in quibus sub republica a privatis dominium probari nequit, esse in dominio publico, ægre demonstrabitur, nisi potestatem civilem cum dominio publico confundere velis. Poterit tamen superior ea, quæ privati nondum occuparunt, facili negotio dominio publico inferere, ad sustentanda publica onera.

§. 1172.

Res, quæ in reipublicæ dominio sunt, & hinc publicæ vocantur, dividi possunt in vulgares & eminentes, quarum illæ tales sunt, quales etiam privati habere possunt, haec autem tales, qualium res publica tantum capax, ut: territorium, insignia regni &c.

O 5

§. 1173.

§. 1173.

Dividunt quidem res publicas etiam in patrimonium publicum, & res publicas strictiori sensu, ita, ut illarum usus singulis interclusus sit, non harum. Sed nescio, an facile bonorum publicorum usus singulis indulgetur, ut ex arbitrio ius utantur.

§. 1174.

Distinguuntur quoque in regnis res publicae, quae sunt aerarii, a rebus, quae sunt fisci, ita, ut illae ad sustentationem sumtuum reipublicae, haec ad necessitatem principis, usum praestent, & vel domania dicantur, si in fundis publicis consistunt, vel redditus domaniales, si fundi desint.

§. 1175.

Fisci vero vox multiplicis significatus est: Adhibetur pro loco, ubi conduntur pecuniae publicae, pro pecuniis publicis, aut omni patrimonio publico, item pro superiore, quatenus consideratur cum patrimonio publico, & iuribus ad lucrum ejus vergentibus, quo ultimo sensu non mirum est, si dicant, fiscum personae vice fungi.

§. 1176.

Jus unice occupandi res, nullius dominio adhuc subiectas, sua natura nondum est potestate civili comprehensum, sed manet harum rerum occupatio, etiam in republica, cuivis privato integra, donec aliud a superiore sit constitutum, isque, quod fieri potest, hoc jus occupandi iuribus suis regalibus inferuerit. Inde de jure venandi, piscandi, aucupio, inventione, judicare licet.

§. 1177.

Quamvis vero metalla, mineralia, thasauri, non sint res extra dominium, sed domino fundi, ubi deprehenduntur, accedant, eadem tamen, quae in feris similibusque obtinet, ad privilegia fisci horum occupationem transferendi facilitas est, quia privati ea, antequam detegerentur ignorarunt, sive patrimonio suo ea inferendi animum non habuerunt, multos sumtus qui privatam fortunam exce-

excedunt, metallorum effossio & coctio requirunt, aleæ multum continet eorum indagatio, usus eorum in republiça ultimæ necessitatis est, & ultra plurium agrorum possessiones venæ procurrunt, quas persequi non licet privatis in fundos aliorum.

§. 1178.

In rebus vere publicis superior omnia jura exercet, quæ dominus alias in re sua.

§. 1179.

Cum rebus fisci non confundendæ res principis patrimoniales, quæ sunt illa bona, quæ ad principem in persona privata pertinent.

§. 1180.

Si principis potestas adstricta aut minus plena est, generatim definiri nequit, quidnam juris circa res publicas habent. Alioquin habet usumfructum rerumpublicarum, proprietas vero earum pertinet ad rempublicam. Principi absoluto, qui potestatem patrimoniale habet, nescio an majus quid tribuerim.

§. 1181.

In rebus privatorum superior habet 1) *dominium eminens*, quod est dominium rerum privatarum, superiori reipublicæ, in casu necessitatis, extra ordinem tribuendum. Hoc jus, necessitatis causa exercitum, continet omnia jura, quæ aliud dominium complectitur.

§. 1182.

Si dominium eminens exercetur, privato, cui res sua ita eripitur, damnum est restituendum.

§. 1183.

2) Jus colligendi redditus publicos ex rebus privatorum. Hoc jus non ad necessitatem insolentem restringitur, sed in omnibus fere rebus publicis ordinarius publicis expensis consulendi modus est.

§. 1184.

§. 1184.

Ita oriuntur (1) tributa, quæ sunt; quicquid subditi statis temporibus ad onera publica conferunt. (2) Collectæ s. quicquid ferente occasione, necessitatis publicæ caussa, subinde contribuitur. 3) Vectigal, s. quicquid pro ingressu, egressu, transitu, mercium, vehiculorum, jumentorum, hominumque, in territorium, ex territorio & per territoriam, superiori solvitur.

§. 1185.

Si res publicæ non sufficiunt ad ferenda onera publica, necessario ad tributa deveniendum est, quorum modum tum determinabit superior.

§. 1186.

Idem dicendum de collectis, quando necessitas pecuniaris earum exactiōnē postulat.

§. 1187.

Superior potest vectigalia nova instituere, antiqua augere, transferre, idque non modo, redditum cameralium caussa, sed & ad dirigenda, restringenda, compescenda, commercia. Videndum tamen, ne magis reipublicæ obfit, quam profit atrocior vectigalium exactio.

§. 1188.

3) Jus, munera publica imponendi. *Munera publica* sunt, quicquid subditus publici commodi caussa dare vel facere tenetur. Sunt vel *personalia*, si in operis solum, vel *realia* s. *patrimonialia*, si in dando solum, vel *mixta*, si in utroque consistunt. Potestatis cameralis lucrum sunt tum, si vel gratis subditi operas aut rerum suarum usum præstare coguntur, velexili saltim mercede.

§. 1189.

Huc referuntur (1) angariæ & parangariæ, quæ sunt munus, equos & plaustra, ad transvectionem rerum publicarum, item Principis ejusque ministrorum, commodandi, (2) metatio s. munus, gratis hospitio excipiendi milites, vel nudo, vel con-

conjuncto cum aliquibus ad necessitatem pertinentibus, quæ ſalgainum dicuntur. (3) albergaria & munus, quo hospitium, viētus potiusque publicis personis divertentibus gratis ſunt præſtanda (4) operæ varii generis, v. g. ad munimenta territorii reficienda etc.

§. 1190.

Quia inæqualis oritur exactione operarum gratis præſtandarum, merito ea abſtinendum, omniaque justa mercede compensanda, & ex tributis potius id decerpendum, quod in hos ſumtuſ impenditur.

§. 1191.

Commercia ſunt non leve rei cameralis momentum. His enim ad opes conquirendas nihil aptius. Nihil vero lucri intra territorium obvenit ſubditorum cuiquam, ubi non in partem veniat fiscus.

§. 1192.

Commercium eſt commutatio rerum operarumve cum aliis per pacta oneroſa. Dividitur in *internum* & *externum*, prius ſubditi inter ſe, posterius hi cum exteris exercent.

§. 1193.

Posterius eſt vel *activum* vel *passivum*. Illud lucro credit territorio, quia plus pecuniarum infertur, quam effertur, hoc oppositæ indolis eſt.

§. 1194.

Commercia aliter considerat potestas politica, aliter potestas cameralis. Illa iis utitur, ut abundant in territorio omnia, quæ ad necessitatem, commoditatem & jucunditatem requiruntur, hæc ad augendos reditus publicos ea fovent.

§. 1195.

Princeps dirigit commercia, ne ad incitas redigantur cives, sed augeantur potius facultatibus. Vnde 1) decernit, quæ merces exportandæ vel importandæ, 2) statuit, cum quibus commercia exerceri poſſint, 3) abolet, quæ com-

commerciis nocent, adjuvat, quæ profunt. Unde in causis mercatorum brevior litis tractatio.

§. 1196.

Datur etiam jus fasci subordinatum, cuius indoles est, ut politicæ subordinatae.

C A P V T C V I .

De potestate judicaria.

§. 1197.

Potestas judicaria est, quæ versatur circa rem judicariam, i. publicam justitiae administrationem. *Justitiae administratio* autem eo tendit, ut, prævia causæ cognitione, cuiusvis juri & officio perfecto satisfiat, secundum leges, quas superior constituit. Versatur circa caussas justitiae, quæ opponuntur caussis politiæ & regiminis.

§. 1198.

Caussa *justitiae* est, quicquid jura & officia singulorum concernit, siveque, ubi queritur, an hoc vel illud, salvo jure quæsito hujus vel illius fieri possit. Caussa *regiminis* est, quicquid magis salutem publicam & omnium commoda, quam jura singulorum, tangit, ubi non secundum leges jam latae abscisse proceditur, & juri singulorum haud raro officitur boni publici causa.

§. 1199.

Causæ *justitiae* prævia causæ cognitione, deciduntur ac terminantur, causæ regiminis arbitrario præcepto, quod publicæ utilitates rationem habet. Utraque in rebus bellicis, camerálibus, politicis, judiciariis, occurrere potest.

§. 1200.

Jurisdictio propria est potestas publice concessa, in causis controversiis proprio nomine cognoscendi, decidendi & exsequendi. Cui talis jurisdictio concessa est, is dicitur *judex*.

§. 1201.

§. 1201.

Quando de causis justitiae sermo est, semper innuntur lites, ut adeo actus, jurisdictionis voluntarie ad causas justitiae referre, non attineat.

§. 1202.

Ea, quæ ad voluntariam jurisdictionem pertinent, proprie non referenda ad justitiae administrationem. Tutoris enim constitutio non magis est causa justitiae, quam aliorum munerum publicorum impositio. Ita & in reliquis. Posse sunt itaque ea, quæ Ictionis voluntariae sunt, ex jure publico universalis, cuivis magistratui haud incommodius & superiore tribui, quam judici.

§. 1203.

Rescindere negotium validum, & ita jus quæsitum ac perfectum tollere, in eo tantum casu ad justitiae administrationem referendum est, quando judex id facere potest, ex regulis supra expositis. Alioquin est causa regiminis, & non nisi potestatis eminentis, ad quam etiam privilegia, moratoria, & juramentorum relaxations, referendæ, si juramentum validum rescinditur, non tantum invalidi inefficacia per sententiam agnoscitur.

§. 1204.

In republica nemo jus suum vi persequi potest, sed debet judicem adire, ut, prævia causa cognitione, secundum eum, cuius jus appareat, lis detur, & ea vis, quam Privati extra rempublicam exercent, ad jus litigantis defendendum, ab hoc adhibetur. Ipsa causæ cognitio consistit in cura ut, si de momentis, quæ vere in controversia sunt, accurate prius, actoris reique allegationibus & responsionibus, constiterit, probatio ei, cui incumbit, injungatur, hac autem peracta, de ejus robore, & causæ meritis judex arbitretur. Sententia ferenda est secundum acta & probata, atque ex legibus jam constitutis.

§. 1205.

§. 1205.

Decisio ex plenitudine potestatis, qua ex rationibus salutis publicæ, non aut secundum leges jam latas, decidiatur, sed alio, qui placet, modo, aut sine caussæ cognitio- ne lis terminatur, potestati principis eminenti reservata est. Decisio, tamen pro auctoritate, qua in caussa dubia, quæ ad certitudinem perducī nullo modo potest, decisione vero terminanda est, secundum probabilitatem deciditur, judici permissa.

§. 1206.

Tam subditus, quam peregrinus, contra subditum jus quærens, judicis opem implorabit, non ipse sibi jus dicet. Si tamen casus sit, ubi judicis copia haberi nequit, & periculum in mora est, vim adhibere adhuc in republica licet. Unde, violenta defensio contra aggressorem, persecutio & apprehensio privata furis fugientis etc., nemini interdicta.

§. 1207.

Executioni inserviunt obsignationes, arrestorum im- positiones, sequestrationes, pignorationes, subhaftationes necessariæ.

§. 1208.

Si modus, in iurisdictione exercenda a judice obser- vandus, legibus determinatur, oriuntur leges judicariæ

§. 1209.

Jurisdictiones judicum semper suos habent limites, qui sunt vel a districtu, intra quem inclusa est, vel a varietate caussarum, quæ singulis jurisdictionibus addictæ, vel a discrimine hominum jurisdictioni subjectorum, quæ omnia ab eo, qui jurisdictionem concedit, curate definienda,

CAPVT

C P V T CVII.

De habitu societatum ad rempublicam.

§. 1210.

Societas in republica sunt 1) vel *publicæ* vel *privatæ*, illæ a superiore sunt constitutæ salutis publicæ caussa, hæ sibi debent originem.

§. 1211.

2) Vel *liberæ* vel *subjectæ*, illæ subsunt potestati civili, hæ secus. Subjectæ sunt vel *privilegiatae*, vel *nudæ*, illæ sunt, quæ nonnulla jura in potestate civili contenta concessione superioris impetrarunt.

§. 1212.

3) Vel *publice approbatæ*, vel *mere privatæ*. Illæ confirmationem superioris acceperunt. Quæ non approbatæ sunt, eæ ideo non sunt reprobatae aut illicitæ, nisi finem habeant illicitum, aut speciali lege interdictæ sint. Approbatæ & publicæ dicuntur *universitates*, quæ vel sunt *ordinatae* vel *inordinatae*. In illis major ordo & oeconomiæ dispositio, quæ in his deest.

§. 1213.

Societas in republica quasvis privato ausu inire licet, quæ extra rempublicam iniri possunt, & naturæ reipublicæ, aut legibus, ejus specialibus, non repugnant, nec opus est superioris confirmatione.

§. 1214.

Omnis societas subjecta est, & privilegiis destituta, donec exemptione a potestate civili, & privilegiorum impetratio, doceri possint.

§. 1215.

Societas privata potest jura sua socialia in superiorem transferre, quo facto superior præter potestatem civilem in eam exercet potestatem collegialem. Quod si tamen ea *Westph. jus nat.* P trans-

translatio non facta, quod in casu dubio creditur, hanc exercere potest ipsa societas.

§. 1216.

Potestas privata societatis, licet a superiore qua tali exerceri nequeat, subest tamen supremæ inspectioni aliisque juribus, & potestate civili oriundis.

§. 1217.

Societas publicæ, quæ jure politiæ constitutæ, peculiarem partem politiæ publicæ administrant, & a superiore pendet, per quemnam, & quem intra modum, eam exerceri velit.

§. 1218.

Private societas cum politia reipublicæ nihil habent negotii, suam vero internam politiam instruunt, ut volunt.

§. 1219.

Statutum est lex specialis societati cuidam in republica consistenti scripta. Per modum conventionis statuta sibi condere potest omnis societas privata. Hæc vero, ex natura pacti, non obligant, nisi consentientes, & eos limites habent, qui pactis privatorum in republiça supra generatim positi. Ut autem verarum legum vim habeant, limites pactorum excedere possint, & alios etiam, qui non consenserunt, stringant, opus est superioris auctoritatem.

§. 1220.

Ad sumptus societatis necessarios ferendos, si, qui directionem societatis habent, redditus colligere possunt ex bonis sociorum, quando vel socii consenserunt in has collectiones, vel sine dispendio societatis evitari nequeunt. Vim tamen privatam in iis exigendis adhibere sub republica non licet, sed via juris contra refractarios opus est.

§. 1221.

Societatibus privatis aerarii sui administratio a superiore permittenda; potest tamen princeps rationum redditio nem ab administratoribus exigere, quia multorum civium inter-

interest, ne communia bona pessum dentur, & singulis non semper integrum est, rationes administratorum inspicere aut judicare. Præterea superior in bona societatum exercet omnia jura, quæ in facultates hominum singularium habet.

§. 1222.

Educationi liberorum superior jure se immiscet, & ejus normas præscribit. Liberis, parentum ope orbatis, qui nondum maturæ ætatis sunt, tutores constituit, hosque invitatos ad subeundam tutelam cogit, securitati liberorum, & probæ administrationi bonorum ex officio prospicit. Tutores male gerentes removet, & majorenitatis, qua ex tutela exeundum est, terminum præfigit. Si maturitate ingenii annos anteverat adolescens, aliæque justæ caussæ tutelæ finem suadeant, veniam ætatis minorenni concedit.

§. 1223.

Societatibus privatis abstinendum est ab omni iurium potestatis civilis exercitio, quæ acquisivisse speciatim docere nequeunt.

§. 1224.

Societas publicæ sunt vel ita constitutæ, ut officium quoddam publicum in collegio administrent, vel alium finem salutis publicæ propositum habent.

§. 1225.

Privatae societas, a superiore tamen confirmatae, in eo convenient cum publicis, quod publicam auctoritatem habeant, in eo tamen differunt, quod illæ superiori, hæc sibi ipsis originem debent, illæ jura collegialia in se nulla possident, hæc in omnibus iura societatum privatuarum, quippe quibus confirmatio non obest retinent.

§. 1226.

Si societas publica officium publicum in consesso administrat, inde oriuntur varia collegiorum nomina, ut sunt collegia rei militaris, politicæ, cameralis, rei judicariæ; quæ vocantur collegia justitiæ, quibus opposita collegia regiminis.

§. 1227.

In societate publica jura societatis s. collegii socialia sunt penes superiorē, quatenus ille hæc jura societati ipsi non speciatim commisit. Inde superior directores, ministrosque societatis ipse constituit, politiam & conveniūtus collegii instruit; quatenus aliud a superiore non indulsum.

C A P V T C VIII.

De gente ejusque membris.

§. 1228.

Gens dicitur respublica, quando intuitu aliarum rerumpublicarum consideratur, quibus subiecta non est.

§. 1229.

Omnis gens est instar unius hominis, in statu naturali extra rempublicam viventis.

§. 1230.

In systemate rerumpublicarum foederatarum, & si plures respublīcae inter se sub eodem superiore sunt coniunctæ, ita ut unam rempublicam majorēm non constituant, sunt tot gentes, quot respublīcae.

§. 1231.

In republica composita comprehensæ respublīcae minores intuitu superioris reipublicæ quidem non sunt gentes, inter se tamen & intuitu exterarum rerumpublicarum. Inter se vero non sunt gentes, in libertate naturali viventes.

§. 1232.

Systēma rerumpublicarum & res publicæ conjunctæ non sunt una gens. Attamen societas composita unam gentem constituit.

§. 1233.

§. 1233,

Gens libera est, quæ potestati civili nulli subiecta, alias est dependens; cuius generis sunt respalicæ minoris, ex quibus composita consistit.

§. 1234.

Singuli homines, ad gentem relati, sunt vel *membra gentis*, ad quam referuntur, vel *peregrini*. Priorum species est etiam ipse princeps, præter reliquos cives & incolas.

§. 1235.

In systemate rerum publicarum, & rebus publicis coniunctis, subditi unius reipublicæ sunt extranei intuitu alterius.

§. 1236.

Peregrini sunt vel *vulgares* vel non *vulgares* s. *eximii*; hi sunt, qui per qualitatem peculiarem inter gentes notabilem ab aliis peregrinis distinguuntur. Ad *vulgares* pertinent *vagabundi*, qui nullibi domicilium habent. Ad *eximios* referendi principes *peregrini*, legati, agentes, consules.

§. 1237.

Membra gentis sunt vel *indigenæ* vel *advenæ*, quorum illi ex parentibus nati, qui reipublicæ membra jam fuerunt, hi ex parentibus, qui peregrini erant.

§. 1238.

Patria vel est locus & respublica, ubi parentes domicilium habuerunt, dum nos generarunt, vel respublica, cuius quis nunc civis aut incola est. Indigena ergo est, qui rempublicam, ad quam refertur, agnoscit patriam priore sensu. Locus nativitatis non attenditur.

Hinc judicari potest quo sensu
vera sit regula Wolfi J. G. §.
144. *Patria tua manet patria, etiam si extra eam domi-*

*cilium tuum constituas vel
eam relinquas, aut etiam ex
eadem ejiciaris.*

§. 1239.

Naturalisatio dicitur collatio jurium indigenatus et facta, qui natura non est indigena.

C A P V T C I X.

De officiis gentium inter se & principio unde hæc cognoscenda.

§. 1240.

Dantur officia ~~gentis~~, quæ sibi ipsi debet, ubi non in epte officia, quæ singuli homines sibi debent, cynosu ræ loco sunt, sed hæc officia non referenda ad jus gen tum, verum ad jus publicum.

Wolf. J. G. §. 9. *Gentes omnes in civitatem cuiusvis intel liguntur, cujus singula mem bra sunt singulæ gentes, scilicet civitates particulares.* §. 20.

In civitate maxima pro voluntate omnium gentium habendum, quod majori earum parti visum fuerit.

§. 1241.

Quælibet gens alii genti debet, quod in statu natu rali homo homini.

§. 1242.

Ergo singulorum hominum inter se jura dant modum cognoscendi jura & officia, quæ gentes inter se observare debent, præterea vero nonnulli aliam adhuc regulam apponendam putarunt, unde officia gentium specialia derivanda sint, sistema scilicet gentium sive civitatem maximam, qualem natura inter omnes gentes constituerit. Esse enim quasi societatem quamdam omnium gentium, qua ad communem felicitatem conjunguntur, ex cuius notione jus gentium aliquod sociale oriretur. Eam societatem ideo esse statuendam, quia natura jubeat hominum, ubicunque sint, conservationem & integratatem, atque obliget singulos, ut iis studeant sine quibus fini conservati onis hominis satis fieri nequit. Sed hoc argumento probari poter

poterit, eamdem societatem maximam esse inter singulos homines, et si in republica non vivant, cum tamen, in jure privato extra rem publicam, juris naturalis interpretes ex hac civitatis maximæ fictione nihil derivent. Deinde cura conservationis, singulis per nativitatem ingenita, tendit ad conservationem sui, non alterius. Inde officia gentis erga gentem ex ea non possunt demonstrari. Denique ad societatem non tantum idem finis plurium desideratur, sed & conjunctio eorum ad eundem finem. Si ergo non negetur idem finis unde tamen hic conjunctio? Nam, hunc adesse, id est idem illud, quod demonstrandum, quodque adeo non principii demonstrationis loco adsumendum.

§. 1243.

Jus gentium naturale aliquod dari certissimum est. Ad quæstionem autem: An sit a jure singulorum hominum diuersum, respondendum: Proprie diuersum non esse jus integrarum gentium a singulorum hominum jure, occurere tamen inter gentes quæstiones, quæ inter singulos homines eo modo oriri non possunt. Ad has decidendas opus esse specialiori juris, quod est inter singulos homines, applicatione. Inde prodire nonnullas juris sententias, quæ gentibus solis propriæ. Cæterum speciale jus gentium sociale, ex civitatis maximæ notione oriundum, nego ac pernego.

CAPV I CX.

De officiis gentium inter se absolutis, speciatim intuitu unionis civilis, territorii, rerum dominio vacuarum, & ad privatos pertinentium, conumerii, potestatis & honoris.

§. 1244.

Nihil admitti debet a gente in gentem, quod unioni civili ejus adversatur, & cuilibet genti gentes reliquæ permittere debent, ut in iis, quæ faciunt ad hanc, unionem civilem, suum sequatur arbitrium.

§. 1245.

Cuivis genti licet formana reipublicæ suæ effingere, quam vult, superiorem eligere, quem lubet; & reliquæ gentes perfecte tenentur, eum, quem natio sibi optavit, principem agnoscere.

§. 1246.

Officia perfecta erga aliam gentem gens violat, si rebellibus, aut principi, limites potestatis excedenti, auxilio, & consilio adest, aut membra reipublicæ alterius invitat ad emigrandum, & habitationem ad se transferendam.

§. 1247.

Nulla gens territorii fines, quibus inclusa est vicina res publica, ullo modo turbare debet, & ab omni ejus usu, nisi prævia veniaæ petitione & impetratiōne, abstine-re, qui potest esse periculosis, & suspiciose sinistra non vacare, aut quam gens altera expresse prohibuit.

§. 1248.

Si mare alluit territorii fines, tum ea maris pars, quæ proxime littoribus adjacet, & quoisque e littoribus defendi possunt territorii fines, ad territorium referenda est, ipsaque ea maris pars dicitur mare accolens.

§. 1249.

Si flumen intermedium duo territoria terminat, fines utriusque in medio flumine statuendi sunt, donec aliud probari possit. In sinubus & fretis idem juris, quod in fluminibus & mari.

§. 1250.

In transitu per territorium alienum, navigatione per illud, navium ad littora ejus & partes appulsi, id dicendum, quod de usu territorii alieni generatim paulo ante dictum est.

§. 1251.

Vacuas imperii terras occupare, sine aliarum gentium læsione, potest quævis natio, sed, ut aliae gentes ipsi par-

partem cedant territorii, quando ipsa terris destituitur, cogere eas nequit. Si tamen gens tantæ amplitudinis territoriorum habeat, ut magnam ejus partem incultam relinquare teneatur, unde vastæ solitudines, per longa temporis intervalla vix ulli homini aditæ, & ferarum latibula oriuntur, alia autem gens, & terræ indiga, & ad culturam diligens, inde aliquid decerpit, omnino hoc ipsi permittendum, nec invidendum. Præterea receptum dare iūs, qui, ubi consistere possint, non habent, ratio suadet, ne jure necessitatis uti cogantur. Grot. I. 2. c. 2. §. 17.

§. 1252.

Res, quæ nullius dominio, nec cujusquam gentis imperio, subsunt, quælibet gens occupare potest.

§. 1253.

Potest quævis gens mari, inconsultis aliis gentibus, uti, quatenus nec est mare accolens, nec alias sub potestatem gentis alicujus redacta. Imo & licet hoc casu mare, aut partem ejus, suæ potestati subjicere. Vastus modo oceanus, cum potestati non facile subjici & detineri possit, inexhausto usui omnium gentium merito apertus manet.

§. 1254.

Occupare res, nullius adhuc dominio subjectas, & quarum occupatio cuilibet adhuc permissa, licet etiam peregrinis, potest tamen superior his occupationem interdicere, quin ingressum in territorium prohibere.

§. 1255.

Jus littoris, quod est jus occupandi res, per fluctus maris littori illatas, exercere omnino licet circa res dominum non habentes; ad bona naufragorum vero, jactum, aliasque res domino non carentes, id extendere, idem est, ac raptu vivere. Licet tamen, si in receptum harum rerum operæ sumtusque impensi, horum compensationem a dominis, res repetitum venientibus, poscere, &, si tanto tempore, ut periculum corruptionis rebus tandem immi-

neat; nemo eos repetit, quamvis publice divulgata sit receptio, potest ultimo vendi, & pretium rerum venditarum fisco inferri.

§. 1256.

An commerciorum consuetudinem altera gens cum altera habere velit, pendet ab ejus arbitrio, nec perfecta adest ad hanc familiaritatem obligatio.

§. 1257.

Potestatem civilem ultra limites suos exercere, in detrimentum alterius gentis, non licet.

§. 1258.

Jus albinagii, quo fisco vindicantur bona, quæ heredes exteris in alieno territorio sequerentur, tum iuri gentium contrarium est, quando peregrini territorium ingressi, nec moniti, bona, quæ secum adportavit, exclusis heredibus exteris, ad fiscum trahuntur. Quodsi vera bona civis aut incolæ, in territorio possessa & quæsita, non relinquuntur exteris heredibus, sed, si domicilium ad locum defuncti transferre nolint, fisco addicuntur, aut si publice præmonentur exteri de jure albinagii, quod exercere destinatum est, & omnes, qui territorium ingrediuntur, metendum habent, dantur tamen nihilominus, qui non ingrediuntur modo territorium, sed & opes secum ferunt, non adeo est, de quo querantur, si ipsis accidit, quod præviderunt, & declinare potuerant.

§. 1259.

Jus detraictus est jus fisco decerpendi partem bonorum privatorum, quæ egrediuntur territorium, emigratione civis, aut hereditate extraneo delata

§. 1260.

Hoc jus detraictus juri gentium non adversum, tum quia potuisset totum patrimonium intra territorium reteneri, & emigratio interdici, tum quia jura fisci intuitu tributorum, collectorum, dominii eminentis &c. imminuuntur.

§. 1261.

§. 1261.

Si gens una cum altera commercia exercet, eorum autem causa, transitu per nostrum territorium opus habet, quia est interpositum, officiis perfectis inter gentes non repugnat, si hic transitus denegatur, aut gravibus vexigalibus impeditus redditur.

Wolf. J. G. §. 232. *Consules manent subditi constituentis.*

§. 1262.

Si gens exercet in suo territorio jura imperii, quae exercere in republica licet, non possunt hoc exteræ gentes impedire, nisi tale quid fiat, cui & homo privatus contradicere potest, si a vicino suscipitur, de quo supra, ubi de dominio actum.

Wolf. J. G. §. 151. *Qui apud gentem unam deliquit, aut crimen aliquod perpetravit,* *puniri ob id nequit a gente alia, ad quam venit.*

§. 1263.

Gens vicina potest jure perfecto poscerè, ne vicini receptando, & fovendo eos, in quos illa potestatem suam exerceret vult, jura sua eludant.

§. 1264.

Si gens subditis reipublicæ suæ commercium cum vicinis interdicit, aut restringit, vicinos non lædit.

§. 1265.

Retorsio jurium officiis gentium non refragatur.

§. 1266.

Si gens nova opera publica exstruit, faciem territorii sui mutat, vias, fluminaque emendat, id impedit vicinus, quamvis ea tendunt ad lucrum aliquod, quo vicinus antea, per neglegitum territorii cultum, fruebatur, nunc intercipiendum.

§. 1267.

§. 1267.

Si opus est documentis, testimoniis publicis, testium examine, in causis judicariis territorii, eaque ab exteris petenda sunt, videndum, an litigantes in territorio homines jus perfectum in documentis habeant, an secus, ibi denegatio documentorum læsio est, hic non est, & testimonia, ac testium examina, eo minus vi & impetu postulari possint.

§. 1268.

Omnis gens debet abstinere ab exercitio imperii in alieno territorio.

§. 1269.

Inde milites conscribere, & munimata exstruere, in alieno territorio in consulto superiore non licet.

§. 1270.

Si vicinus negligentior in colendo territorio est, unde exteris transitus aut alia commoditas impeditur, hoc ad perfecti officii læsiones referri nequit.

§. 1271.

Gens genti ultro non obligatur ad ea honoris signa extera exhibenda quæ æqualitati inter gentes repugnant.

§. 1272.

Eum honorem gens genti tribuere perfecte tenetur quo, si in territorio ejus versatur, agnoscit ejusdem potestatem civilem.

§. 1273.

Præcedentia inter gentes jure connato nulla est.

§. 1274.

Honor, qui genti debetur, habendus ejus principi, qui nationem repræsentat.

§. 1275.

Inter Principes jure absolute non est præcedentia, &, quamvis quilibet possit cum adsumere titulum, qui ipsi & reipublicæ placet, ab aliarum tamen gentium arbitrio pendet, an eum velint agnoscere.

§. 1276.

§. 1276.

Principem exterum, territorium ingredientem, ab imperio territorii exemptum manere, jure gentium naturali dici nequit, nec, si ad tractanda negotia publica acceperit, aliud dicendum.

C A P V T . C X I .

De servitutibus, jure pignoris, tributo, pactis inter gentes.

§. 1277.

Dantur servitutes inter gentes, quæ dicuntur servitutes juris publici s. juris gentium. Sunt autem jura gentis in alterius territorio, vi cuius hæc aut pati aliquid, aut omittere, tenetur, quod alias ex libertate naturali pati aut omittere non obligaretur.

§. 1278.

Constituitur etiam jus pignoris inter gentes, & vel partes territorii, vel singula jura potestatis civilis, pignori locantur.

§. 1279.

Debet & gens genti interdum tributum s. annuam præstationem uniformem, quæ conventa est, unde gentis oritur tributaria.

§. 1280.

Inter gentes pacta perfecta haud raro dicuntur tractatus.

§. 1281.

Pacta gentium, quæ præstationes, per notabile tempus continuandas, concernunt, dicuntur foedera, quæ commercia, belli societatem, mutuum auxilium, aliaque concernere possunt.

§. 1282.

Pacta gentium, ab eo, qui jus foederum habet, aut ad ejus jussum ratihabitionemve, inita, gentem obligant in perpetuum.

§. 1283.

§. 1283.

Sponsiones, quæ sunt promissiones, gentis nomine factæ ab eo, qui jus foederum non habebat, gentem non obligant, nisi accedat ratihabitio.

Si ratam non habeat sponsio-
nem respublica, ad quid

teneantur tum sponsores,
tradit Grot. L. 2. c. 15. §. 16.

§. 1284.

Valida gentium pacta durant etiam, exstincta stirpe regnatrice, aut mutata forma reipublicæ. Potest tamen ab iis recedi in casu, quo generatim a pacto resilire licet.

§. 1285.

Inter modos firmandi pacta, est, inter gentes, garantia & obsidum datio. *Guarantia* est promissio gentis, quod efficere velit, ut tertius officio suo satisfaciat. *Obses* est membrum reipublicæ, quod in securitatem susceptæ obligationis traditur in custodiam alteri genti.

§. 1286.

Nec garantia, nec obsidis qualitas, infert fidejussionem, sed guaranda in casu, quo garantia implenda, ad preces implorantis, facere debet, quod potest, ut alteram gentem officio suo adversantem, adigat ad debitum faciendum. Obses autem pati debet custodiam, quamdiu securitas detentori necessaria est.

Obses interdum fugere potest, interdum secus Grot. L. 3. c. 20. §. 54.

C A P V T C X I I .

*De legationibus, legatorum speciebus, habilitate, admis-
sione, officio & jure.*

§. 1287.

*L*egatus est mandatarius gentis, ad gentem missus, ad expedienda negotia publica. *Agentes* sunt, qui in alieno territorio curant negotia principis privata. Consules, qui in emporiis maritimis & portibus ab exteris gentibus officium

cium habent, ut iura gentis suæ observent, & lites mercatorum suæ nationis definiant.

§. 1288.

Legatum in negotiis sibi commissis repræsentare suum mandantem, ex natura mandati oritur, & ita intelligendum est, quod ab eo intra limites mandati promissa, æque valida sint, ac si ab ipso mandante promissa essent. Si hoc vis dicere *characterem legatorum repræsentatitium*, id nulla legatorum peculiariis eminentia est, qua ab aliis executribus mandatorum privatorum distinguantur. Nec id conveniens menti, quæ huic voci hodie inter gentes subest, qua etiam intuitu honoris, præcedentiæ, aliorumque, legatus spectatur, quasi ipse princeps præsens esset, ejusque characteris repræsentatii tuin varii statuuntur gradus, unde legatorum classes. Hic character, hodie vulgatissimus, juri gentium universalí incognitus est.

§. 1289.

Legati vel mittuntur ad certam gentem, vel ad plures gentes in genere, v. g. ad negotia publica in congressu gentium expedienda.

§. 1290.

Sunt porro vel ordinarii s. asfidui vel extraordinarii. *Illi* sunt, qui perpetuo manent in territorio gentis, ad quammissū, ibique subinde negotia tractant, ut inciderint. *Hi* ad speciale aliquod negotium expediendum mittuntur, eoque finito recedunt.

§. 1291.

Jus mittendi legatos habent omnes, quibus est potestas civilis, & tam regna, quam respublica strictiori sensu.

§. 1292.

Tempore interregni legatos mittunt ii, apud quos interim potestas residet.

§. 1293.

§. 1293.

Rebelles aut usurpatores non possunt quidem legatos mittere, si tamen vi rempublicam vere nunc obsident, & exteri eorum legatos admiserint, nulla hoc facto genti illata est injuria, quia an sint rebelles vel usurpatores, exteri judicare nequeunt.

§. 1294.

Principes, qui abdicatione aut dethronisatione imperium amiserunt, legatos mittendi jus non amplius habeut.

§. 1295.

Legatus sit habilis ad negotium, quod sibi commissum, dextere gerendum, simulque talis, qui fine offensione ejus ad quem mittitur, eligi potest. Unde nec homo indignus sit, nec qui alio modo displicere possit ei, cum quo tractandum.

§. 1296.

Litteræ credentiales, quæ deriguntur ad eum, ad quem legatus proficiscitur, quibusque legati qualitas & character huic significatur, jure naturali, præter mandatum, non sunt necessariæ, quia character alijs, quam qui ex mandato oritur, hoc jure ignoratur, legatique qualitas ex ipso mandato jam cognoscitur.

§. 1297.

Instruſſio legati est, quicquid legato ratione modi tractandi, se gerendi, agendi, concludendi, ad privatam ipsius notitiam a mittente præscriptum.

§. 1298.

Gentes ad admittendos aliatum legatos perfectly tenentur, nisi aut legatus sit talis, quem dignari ratio est, aut admissio legati cum salutis publicæ discrimine conjuncta sit.

§. 1299.

Justæ rectusandi legatum cauſſæ sunt, 1) si princeps mittens prava machinatur consilia cum hostibus, unde ut

ut ab his desistat, reje^ctione legati quæritur, 2) si a mani^festo hoste mittitur, nisi constet, pacis cau^sa eum mitti, 3) si ea, quorum cau^sa mittitur, jam cognita sunt, & talia, quibus annui nullo modo possit, 4) si legatus homo indignus, inidoneus, ei, ad quem mittitur, exosus, periculosus, 5) si monstri quid alat aut protendat legatio.

§. 1300

Legatus ad ea tenetur mittenti, ad quae mandatarius mandanti.

§. 1301.

Legatus fines instructionis non debet excedere. Si tamen fecus fecerit, mandatumque apertum, huic instructioni contrarium, cum altera gente communicaverit, ex hoc, non ex instructione, judicanda validitas ejus, quod cum extero gestum.

§. 1302.

Sanctitas s. inviolabilitas legati in eo consistit, ut læsiones ipsi illatae multo majoris momenti aestimentur, quam si alii, ejusdem conditionis homini factæ essent.

§. 1303.

Independentia legati, seu, quam vocant, extraterritorialitas, qua imperio gentis, ad quam missus, non subesse censetur, ex jure naturali probari nequit. Sanctitas tamen legato tribuenda, cum majora inde orientur mala, si legato in obeundo officio impedimenta ponuntur, quam si aliis offenditur.

§. 1304.

Si legatus lædit gentem, ad quam missus, hæc potest in illum ex potestate civili jus puniendi & jurisdictionem plenissimam exercere.

§. 1305.

Sanctitas legato non tantum in territorio gentis, ad quam mittitur, sed & in aliis territoriis tribuenda, quum ubique eadem sit ratio.

Westph. jus nat.

Q

CAPVT

C A P V T C X I I I .

De comitibus, suppellectile & ædibus legatorum.

§. 1306.

Comites legati sunt, qui una cum legato, ejus caussa, profiscuntur. Huc *familia* legati, ut uxor, liberi, domestici. *Ministri legationis*, qui in legatione obeunda adfistere debent, & aliter legato inservire, quorsum sacrorum minister, medicus, secretarius, reliquie proprie comites dicti, qui tantum pompæ augendæ caussa legationi adhaerent.

§. 1307.

Supellex legati, aut impedimenta legationis, sunt, quicquid legatus ad vitæ necessitatem, commoditatem & voluptatem secum habet.

§. 1308.

Legato non deneganda facultas comites & supellec-
tum secum habendi, modo inter comites non sint, qui
dispicere possint ei, ad quem legatio mittitur, & intuitu
suppellectilis, quæ adfertur, obseruentur leges territorii,
in quod devehitur.

§. 1309.

Cum ne ipsi quidem legati independentes maneat
ab imperio territorii, cui insunt, id multo minus comiti-
bus legati tribuendum. Legatus in hos potestatem nul-
lam intra rempublicam alienam exercere potest. Cæte-
rum sanctitatem legati aliquantum participant.

§. 1310.

Ob æs alienum legati, supellex ejus in territorio, ubi
deprehenditur, arresto constringi potest, siue legatus ad-
sidue in territorio permanet, non apparet, cur non ad
onera publica idem conferre debeat, quod aliū, continuo
intra rempublicum consistentes.

§. 1310.

§. 1311.

Aedes, quas inhabitat legatus, singulare jus non habent, sanctitas tamen ex persona legati in eas quodammodo derivatur.

§. 1312.

Ut legatus gentis suæ insignia ædibus suis adfixa habeat, ideo ipsi permittenduim, quo cognosci possit, ubi habitet legatus, non ea ratione, quod ab imperio reipublicæ exemptæ sint hæ aedes.

§. 1313.

Legatus non potest intra suas aedes poenas exsequi in comites suos, aut aliam jurisdictionis partem obire.

C A P V T C X I V .

De modis quibus legatio finitur.

§. 1314.

Legatio definit, 1) morte legati, qua secuta in hereditate, quam reliquit, idem juris est, quod in aliis hereditatibus peregrinorum, qui intra provinciam deceidunt. 2) morte mittentis, 3) morte ejus, ad quem missus. 4) Revocatione, ad quam jure gentium universal nec peculiares litteræ, ad eum, apud quem est legatus, directæ, nec recrecentiales, necessariæ sunt, quæ sunt testimonia scripta, ab eo, ad quem missus fuit legatus, huic data de bene & prudenter administrato officio. 5) Remissione, quæ licita casu, quo rejicere ab initio licuisset legatum.

C A P V T C X V .

De habitu jurisprudentiæ privatæ, præsertim civilis ad rem publicam.

§. 1315.

Jurisprudentiæ privatæ in republica variae accidunt detorsiones, restrictiones & accessiones. Sic oritur no-

va ejus divisio in *vulgarem & jurisprudentiam privatam hominum illustrium, s. principum, s. heroicam.*

§. 1316.

Generatim ea nunc omnibus lex dicta est, ut nequeant vi propria amplius jus suum persequi, sed ope tantum judicis, instituta actione. Est vero *actio medium*, quo quis alterum, sibi aliquid debentem, per judicem cogit, ut debito satisfaciat.

§. 1317.

Actioni toties locus est in republica, quoties extra eam bellum moveri posset, s. quando adest officium perfectum, quo defungi alter detrectat.

§. 1318.

Jam, his præmissis, nihil speciatim addi potest de jurisprudentia civili privata in republica.

C A P V T C X V I .

De habitu jurisprudentiae criminalis ad eandem.

§. 1319.

Intuitu criminum primum hoc novi accedit, quod omnis læsio, etiam privato tantum homini directo illata, pro falso reipublicæ indirecta habenda sit. Cum enim a salute singulorum, universæ reipublicæ salus pendeat, & officium superiori reipublicæ incumbat, a quovis avertendi quasvis offenses, qui ideo in rem publicam concessit, non potest non superior se læsum putare, ubi civi ejus damnum factum est.

§. 1320.

Deinde possunt per leges interdicta, & poenis notata, esse multa, quæ jure hominum extra rem publicum viventium poenis non subessent, & crimina non forent. Unde de stupris, incestibus, bigamia, autochiria, duellis aliisque, item de blasphemis, execrationibus, perjuriis

juriis, de ebrietate, sterilitatis procuratione, onania, masturbatione, ut rebus puniendis, hic doceri potest, de quibus alibi altum silentium.

§. 1321.

Porro hic dantur crimina, supra iterum intacta, scilicet, quæ immediate adversus rem publicam committuntur, quorsum perduellio, crimen læsæ majestatis, falso monetæ, usurpatio regalium, ambitus, residui crimen.

§. 1322.

Nec minus hic enascitur distinctio poenarum in *ordinarias & arbitrarias*, quarum illæ sunt determinatae, quoad speciem & quantitatem, hæ secus, sed arbitrio judicis relatae.

§. 1323.

Lex poenalis speciatim promulgata ad criminis poenam non est necessaria, sed, quæ contra publicam salutem a singulis committuntur, jam sua natura poenæ subsunt.

§. 1324.

Criminis reus, et si læsus non urgeat, quin &, si transfigat, remittat, compensationis exceptionem admittere debeat, immo & pro reo intercedat, nihilominus ad poenam trahendus est, & curandum, ut, et si nemo accusare velit, tamen sit modus delicta omnia ad jurisdictionem vocandi, nullique impunitatem permittendi.

§. 1325.

Jus puniendi connatum hominum extra rem publicam nunc ipse læsus exercere nequit, sed debet ejus exercitium permittere superiori. Inde oritur jus puniendi contractum publicum, quod vi potestatis civilis exercetur. Societas habent quidem jus puniendi suum privatum, & dantur poenæ conventionales in republica, in his omnibus tamen a vi temperandum, nisi superioris indulgentia accedat.

§. 1326.

Sola reticentia criminis, quod commissum esse, civi notum est, cuiusque auctorem non ignorat, item non facta acclamatio, omissa concivis præmonitio, impedimenti & resistentiae neglectus, etiam in republica non faciunt eum poenae obnoxium, qui cæterum in criminis societate non est, nisi superior diserte aliud statuerit. Licet enim civis ad omnia, quæ salutem publicam promovent, ad damna publica avertenda, & commoda procuranda, omni modo sit obstrictus, notandum tamen, 1) læsionem hic propriæ privatos tangere, non imediate rempublicam. 2) alio modo quoque crimen manifestari posse, licet hujus vel illius delatio non accedat. 3) Officia, quæ civis sibi ipsi hic debet, præponderare præ officio erga alios, quod impletu, ut ostensum, non adeo necessarium est. Insidiæ & truculentia, & subito in se criminosorum irruens & conversa vis, deferrenti, divulganti, rumorem spargenti, intercedenti, resistenti sunt metuenda. Hinc jus ei perfectissimum est, sibi potius, quam aliis consulendi.

C A P V T . CXVII.

De potestate civili in criminibus.

§. 1327.

Potestas civilis in criminibus, ut alibi, est vel *vulgaris* vel *eminens*. Vi eminentis exercetur *aggratiatio*, datur *abolitio*, *restitutio in integrum criminalis*, decernitur *privilegium odiosum*, *decimatio*.

§. 1328.

Est autem *aggratiatio*, remissio poenæ promeritæ & jam decretæ, ob speciales rationes commodi publici, unی alterive extra ordinem factæ. Hæc vel omnem poenam tollit, vel tantum mitiorem graviori surrogat, quo casu *mitigatio* dicitur. *Abolitio* est liberatio rei a processu criminali contra se jam iactoati eodem modo facta. *Restitutio*

stitutio in integrum est remissio poenæ, aliquamdiu jam toleratæ, ad tempus reliquum. *Privilegium odiosum* est irrogatio poenæ, ea, quæ alioquin per leges statuta, gravioris, criminoso, ob rationes exempli publice edendi pecuniales, extra ordinem facta. *Decimatio* est aggratiatio, inter plures delicti complices, aliquibus facta, ita tamen, ut cui illa inter plures contingere debeat, sorte dirimentum sit. Hæc obtinet, si ex magno damnatorum numero lanientia reipublicæ noxia oriretur.

§. 1329.

Possunt ex potestate civili etiam asyla invehiri, i. e. loca, quorum qui fugere & se recipere potest, a criminali persecutione eximitur. Verum hæc asylorum constitutio hodie semper noxia est reipublicæ, invitat ad delinquendum, justitiæque obicem ponit. Unde numquam suadenda.

§. 1330.

Actiones, quæ publice non nocent, sub leges poenales non vocandæ sunt. Possunt poenæ publicæ etiam ad mortis supplicia, tam atrociora, quam moderatiora, extendi.

§. 1331.

Si quis alibi delictum commisit, in alio autem territorio postea deprehenditur, omnino ibi, ubi deprehensus est, aut puniendus, aut, ad poenam sumendam, ad locum, ubi deliquit, remittendus est, quia civi & reipublicæ, læsis, jus est perfectum poenam poscendi, cumque eam, secèdente reo in alienum territorium, sibi ipsi sumere nequeant, necesse est, ut respublica, ad quam consugit reus, adfistat. Non tenetur tamen judex deprehendens leges asperiores vicini territorii delicto applicare, licet, si faciat cum consensu superioris, injuste nihil agatur. Leniores vero vicini leges omnino attendere debet judex deprehendens.

Q 4

§. 1333.

§. 1332.

Fugientem reum in alienum territorium persequi omnino licet, inconsultis territorii magistratibus, facta autem apprehensione, magistratui loci ubi deprehensus est, ea denuncianda, ut vel ipse pænam sumat, vel ad justum supplicium abduci reum patiatur.

§. 1333.

Etiam privatis licet criminorum, qui fugam capessit, in fuga persequi & vi apprehendere, eodem tamen adhibito moderamine, de quo jam dictum.

§. 1334.

Traductio criminorum per alienum territorium, inconsultis ejus magistratibus, non permitta, quia est actus potestatis.

§. 1335.

Potestas civilis in criminibus, quam princeps exercet ejusque pars, jurisdictionis criminalis, dicitur *sublimis*, cui opponitur *subordinata* magistratum aut eorum, qui hoc privilegio ornati sunt, jurisdictione. Est autem *jurisdictionis criminalis* potestas publica, in causis criminum, ubi ad poenam publicam agitur, proprio nomine cognoscendi, decidendi & exsequendi.

CAPUT CXVIII.

De habitu jurisprudentiae feudalis ad rempublicam.

§. 1336.

Jurisprudentia feudalis in republica non minus in multis aliis faciem induit.

§. 1337.

Primo oritur nova feudorum divisio in *publica* & *privata*. Illorum dominium directum est penes rempublicam, horum penes alium.

§. 1338.

§. 1338.

Vassallus, qui possidet feudum publicum, ideo non est subditus ejus reipublicæ à qua feudum habet, licet possit simul esse & vassallus & subdatus. Potest enim feudum vel esse in territorio domini, vel territorii alieni, vel nullius. Hinc feuda publica dividuntur in *domestica*, s. *in territorio*, in *curte*, & *peregrina*, s. *extra territorium*, *extra curtem*. Illa subsunt potestati civili reipublicæ, quæ habet dominium directum, hæc non subsunt, sed sunt alieni aut nullius territorii.

§. 1339.

Qui feudum intra territorium possidet, sive publicum, s. privatum, intra territorium tamen domicilium non habet, est intuitu feudi subdatus forensis.

§. 1340.

Si possessor feudi, in nostro territorio siti, ab aliena republica illud feudum agnoscit, hujus dominio directo, illius imperio, subest.

§. 1341.

Qui possidet feudum publicum, quod nullius est territorii, a civili potestate plane est independens.

C A P V T C X I X .

De potestate civili in feudis.

§. 1342.

Jura potestatis civilis circa feuda, in territorio sita, eadem sunt, sive feuda sint publica, sive privata, &, ubi publica sunt, sive dominium directum sit penes reipublicam, in cuius territorio situm, sive penes alium. Non tamen extendenda est potestas civilis ad jura dominii directi, si hæc cum illa non sunt conjuncta.

Q 5

§. 1343.

§. 1343.

Si feudum publicum est domesticum, jura dominii directi & potestatis civilis simul competunt superiori, si peregrinum, priora tantum, cum posteriora tum pertineant alium superiorem, si ejus territorio accensendum est feudum, ad neminem, si territorii nullius pars est.

§. 1344.

Admodum ambiguum est, si feuda sunt alterius territorii, quænam, in juris questionibus, circa ea occurrentibus, applicandæ sint leges, an loci, ubi feudum situm est, an loci, ubi dominium exercetur directum. Qui prius censem, ii adferunt, quod leges non valeant extra territorium, & res, in territorio sitæ, ex legibus territorii sint judicandæ. Mihi tamen posterius ideo verius videtur, quoniam pacto licet etiam alterius territorii legibus se subjicere. Jam curia feudal is, feuda concedendo, de nullis legibus cogitavit, ad feudum applicandis, nisi quæ in loco curiæ obtinent, unde id actum, ut his legibus se subjiciat vasallus. Hic autem, feudum recipiendo, tacite consensit in oblatam conditionem.

§. 1345.

Jurisdictio circa feuda etiam in rebus feudalibus exerceri nequit, nisi ab eo superiore, qui potestatem civilem in feudum habet.

C A P V T CXX.

De habitu religionis & ecclesiæ ad rem publicam.

§. 1346.

Etiam in rebus ecclesiasticis multa mutant res publica, unde & de his nonnulla monenda. Est ergo de potestate civili circa ecclesiam nonnihil dicendum, & de habitu ecclesiæ ad rem publicam.

§. 1347.

§. 1347.

Potestati civili ecclesiasticæ subest potestas ecclesiastica privata, quam ecclesia jure fociali habet. Ex priore oriuntur jura circa sacra majestatica, ex posteriore jura circa sacra collegialia.

§. 1348.

Res conscientiae quidem potestati civili non subsunt, externa tamen sacra & adiaphora omnino ita temperari & regi a republica possunt, ut salus publica postulat.

§. 1349.

Iura potestatis civilis generalia omnia non minus, quam specialia, in ecclesiam exerceri possunt. Speciatim reipublicæ tribuitur *jus reformandi*, quod est jus determinandi, cui & quale religionis exercitium concessum esse, & an huic vel illi religioni additus in republica tolerari debeat, *Jus advocatæ*, quod est jus vi defendendi ecelesiæ contra aliorum lœsiones & contra turbationem sacrorum, *Suprema inspectio & jurisdictio in caussis ecclesiasticis*, quæ est potestas, in caussis ecclesiasticis forensibus cognoscendi, decidendi & exequendi.

Wolf. J. N. Tom. 8. §. 467.
In republica instituendi sunt dies festi. §. 471. Rector civitatis adigere vi potest subditos, ut conventibus publicis in templis diebus festis intersint, nec eos temere negligant. §. 478. Superiori curæ esse debet, ut in cultu' publico divina cærimoniæ aptæ & convenientes instituantur. §. 951. Qui jus circa sacra in republica habet, is de iis, quæ

in cultu divino publico sive externo non uno modo fieri possunt, pro lubitu disponere potest, prouti e re civitatis vel ecclesiæ ipsi visum fuerit. §. 955. Ubi imperium civile simpliciter defertur, vel in restrictionis lege juris circa sacra nulla fit mentio, ecclesia hoc jus sibi non reservasse intelligitur, sed idem cum civili imperio in unam personam collatum censetur.

§. 1351.

§. 1350.

Jus reformandi comprehendit duplex jus. *Alterum*, quod est jus reformandi exercitium religionis, quo tale exeritium religionis vel permittitur vel tollitur vel restringitur. *Alterum* quod est jus tolerantiae, quo habitatio hominum certae religionis intra rem publicam vel conceditur, vel negatur.

§. 1351.

Jus reformandi omnino inter jura potestatis civilis referendum. Vnde regula: Cujus est regio, ejus est religio.

§. 1352.

Jus reformandi non eo extendendum, ut superior ipsa sacra subditorum mutare, &c, loco priorum, alia ipsis invitatis obtrudere possit, aut eos cogere, ut religionem profiteantur, a qua abhorrent.

§. 1353.

Superior potest hominibus, certae religionis adseclis, emigrationem religionis caussa injungere, possunt vero etiam hi, et si superior eos excedere non jubeat, sponte exire, quando exercitium religionis ipsis denegatur.

§. 1354.

Cæterum si certae fidei confessores tolerantur, non est ratio, eis denegandi id exercitium religionis, quod alios nullo modo turbat, & ne sub conspectum quidem cadit, quorsum potissimum devotio domestica absque sacrorum ministris, tantum, cum suis & familia, a patre familiis instituta.

§. 1355.

Legato religionis exercitium eodem jure intra aedes suas habere permittendum, quo cum comitatu & supellecili eesse potest.

§. 1356.

Jus advoetiae comprehendit 1) ius removendi impedimenta cultus civini in republica 2) ius efficiendi, ut ecclesia, quæ

quæ habet potestatem ecclesiasticam privatam, in ejus exercitio non turbetur.

§. 1357.

Vi advocatiæ impediri nequit, ne membra ecclesiæ religionem mutent, & hoc modo a priore ecclesia se separant. Imo superior hominem, religionem pristinam deserentem, contra iras, impressiones & persecutionem aliorum fidei suæ pristinæ hominum tueri & protegere debet.

§. 1358.

Ecclesia in republica consistens habenda pro societate privata, non pro publica. Cæterum admittit omnes distinctiones, quas aliæ societates in republica habent

§. 1359.

Ecclesia in republica tolerata est vel dominans vel pressa. Illa religionis exercitium habet, nullo modo restrictum. Hæc restricta habet jura, ultra quæ procedere nequit.

§. 1360.

Potestas civilis in ecclesiasticis eodem modo est penes superiorem, sive ejusdem cum subditis religiosis sit, sive diversæ.

§. 1361.

Ecclesia in casu dubio creditur esse societas non libera, & non privilegiata. Et hoc casu idem circa eam juris est, quod circa aliam societatem non liberam & non privilegiatam dicendum. Eadem ratione ecclesia libera & privilegiata utitur juribus indoli suæ convenientibus.

§. 1362.

Potest quoque ecclesia in republica eodem modo habere sua presbyteria, officia, collegia, quo extra rempublicam, & quo aliæ societates officia & collegia habere possunt

§. 1363.

Superior non potest ad religionem vi adigere eum, qui tales plane non habet, nec hæreticos ad sinceriorem fidem

fidei compellere, nec impios solius impietatis causa punire; potest tamen & debet alio modo temperatore efficere, ut Numinis veneratio propagetur, cultus ejus rationi conveniens se diffundat, & impietas omnis in exilium mittatur.

§. 1364.

Superior exigere potest ab ecclesia, ut fidei suæ confessionem ei manifestat.

§. 1365.

In controversiis theologicis decidere nequit superior, potest tamen omnem in disputando acerbitatem prohibere, eos, qui, per fervorem justo longius proiecti, illicite debachantur, punire, deinde si tentatis colloquiis, & conventibus habitis, nihil effectum fuerit, silentium imponere, ne haec questionis porro agitantur.

§. 1366.

Ritus & cæremonias præscribendi jus superior non habet eosque, ut formam modumque eorum aliquem invehere velit, potest tamen prohibendo versari, & quæ motus occasionem suppeditant, item quæ sanitati, vitæ, industriæ, aliisque commodis publicis officiunt, restringere & ad iustos limites revocare. Ita circa conciones, preces, jejunia, flagellations sacras, dies festos aliaque adiaphora, salutem publicam curabit superior.

§. 1367.

Intuitu doctorum ecclesiæ princeps saltim confirmationem muneris ipsis delati sibi vindicat, & jus, electum ab ecclesia virum pro re nata rejiciendi.

§. 1368.

Ius devolutionis, quod est jus negligentiam ecclesiæ in ministrorum locis vacantibus replendis supplendi, in paucissimis casibus tribui poterit principi, cum non publicæ, sed privatæ tantum, salutis ecclesiasticæ intersit, munericibus vacantibus novos quæri ministros.

CAPVT

C A P V T CXXII

De jurisprudentia Principum privata.

§. 1369.

In Jurisprudentia principum privata quæstio cardinalis est, an princeps ipse legibus suis subdit? Hanc & plane negare & omnino adfirmare, inconveniens est. Merito distinguendum, an princeps, antequam suscepsum fuerit negotium, quod ex territorii legibus judicandum est, declaraverit, quod legibus territorii in hoc negotio teneri non licet, vel saltim hoc ipso, dum negotium suscipit, fatis ostendere, se nolle subesse propriis legibus, an neutrum dici possit. Ibi cessant leges aliis præscriptæ, & sic oriuntur priori casu privilegia fisci, posteriori autem est tacita dispensatio antecedens a principe sibi ipsi data in quovis negotio. Cum enim possit princeps jura singulare invehere, & dispensationem contra leges concedere, legibus communibus aliorum his casibus locus nullus relinquitur. In reliquis casibus applicandum jus commune civium. Nam 1) princeps tenetur ad id faciendum, quo promovetur salus publica. Leges territorii boni publici caussa conditas esse, credere fas est. Eorum itaque observantia ipsam salutem publicam tangit. Si in aliis, cur non in principe? 2) Leges ipse tulit princeps, sed in persona publica. Eaſ observat in persona privata. Ergo hic nulla contradic̄tio & absurditas, quod quis sibi ipsi legem dicat. Distinguendæ enim personæ. Inde regula. Principes in cauſis privatis utuntur jure privatorum.

Grot. L. 2. c. 14. §. 6. Si tales sunt actus, qui a rege, sed ut a quovis alio fiant, etiam civiles leges in eo valebunt.

§. 1370.

Princeps non potest vi propria, sine cauſæ cognitione, & absque via juris, contra subditum res suas persequi, cum justitiae administratio sit pars salutis publicæ, promissa subdito in rem publicam concedenti. Idem dicendum, si subditus contra principem rem habeat. Hoc posteriore

riore casu judicem eligere debet princeps, coram quo conveniri velit. Is utitur processus via ordinaria, nisi aliud per privilegia fisci statutum. Priorc vero casu princeps actor adit judicem competentem, cui subest reus.

§. 1371.

In coniugii principum, & patria eorum potestate, praesertim oritur quæstio, an uxor, si princeps est maritus, aut maritus, si princeps est uxor, item an liberi, potestati civili conjugis, aut patris subsint? Si interterritorio vivunt, nullum est dubium, quin affirmanda sit quæstio. Idem de viduabus antecessorum & liberis eorum dicendum.

§. 1372.

De tutela principis publica supra dictum. Intuitu privatæ nihil singulare, nisi quod personæ pupilli privatæ curam necessario simul habere debeat tutor personæ publicæ caussa constitutus.

§. 1373.

Habet princeps & ministros in persona privata, qui distinguendi a ministris publicis. In officiorum & operarum diversitate manifesta, non difficultis est eorum inter se distinctio.

§. 1374.

Si princeps habet alios successores in imperio, alios in privato patrimonio, hoc separandum est ab eo, quod ad rempublicum pertinet, & cuivis successorum dandum, quod ipsi debetur. Facta & obligationes defuncti, quas is intra limites potestatis suæ in persona publica suscepit, abscisse transeunt in successorem territorii, reliqua autem, quæ patrimonium privatum concernunt, sunt praestanda, ut ab alio successore privato praestarentur.

§. 1375.

Delicta quoque principum duplicitis generis sunt, *publica*, quæ in persona publica ab eo commissa, quorsum tyrannis, transgressio limitum potestatis, &c. & *privata*, quæ

quæ in persona privata admisit, ut adulteria, homicidia, &c. Illa ex jure publico judicanda. Hæc illicita quidem sunt, sed si superiorem non habet princeps, judicis poenæ non subsunt, Privatorum proprie esset, sibi ipsis hoc casu vi privata vindictam querere. Sed quia reipublicæ periculum subest, si princeps impune lædi potest, hæc facinora magis conscientiæ principis relinquenda, quam juris persecutioni

C A P V T CXXII.

De jurisprudentia practica publica, speciatim bello inter gentes & partibus belligantibus.

§. 1376.

In negotiis publicis & gentium tractandis tractandis, tam iis, ubi lis non agitatur, quam, ubi de lite dirimentia quæstio est, varia sunt, quæ dici tradique possent. Quia tamen hæc alibi solent & debent tractari, tantum de controversiis inter gentes terminandis, quod per bellum fit, hic fusius agetur.

§. 1377.

Bellum ortis rebuspublicis triplex est. Est enim vel *privatum s. civile*, si ejusdem republicæ cives inter se illud gerunt, vel *publicum*, si gens cum gente arma confert, *mixtum*, si inter superiorem & subditos vis hostilis exercetur.

§. 1378.

Mixti & civilis belli rationes bello publico similes sunt, quando caussa est probabilis & dubia ab utraque parte, tumque, quæ de publico bello jam dicenda sunt, etiam illis convenient. Si rebellionis magis & vis privatæ indolem habent hi motus, tum ex superioribus de iis facile judicari potest. Unde hic penitus tractandum tantum remanet bellum publicum.

§. 1379.

Bellum publicum est vel *solenne* vel *minus solenne*. In hoc unica hostilitas & violentia exercetur, quo facto iterum desistitur. In illo series longa impressionum hostilium fit, eaque continuatur, donec, fine obtento, pax animos iterum conciliet.

Westph. jus nat.

R

Alius

Alius significatus belli minus bello publico, privato & solennis ap. Puffend. J. N. mixto Grot. J. B. & P. L. i. & G. L. 8. c. 6. §. 9. De c. 3. §. 1.

§. 1380.

Bello occupatae *partes* sunt vel *principales* vel *minus principales* s. socii. Illæ sunt, quæ suo nomine bellum gerunt, non alteri adfistendi caussa, hæc, quæ in auxilium aliorum id faciunt, non proprio nomine.

§. 1381.

Paœta de belli societate inter se habenda & conjungendis ideo viribus dicuntur foedera belli, quæ vel offensiva, vel defensiva sunt, vel utrumque simul. Quando pecuniæ præstatio tantum in auxilium alterius promittitur, hæc conventio tractatus subsidii nomen accipit.

§. 1382.

Qui nec belli socii sunt, nec partes belli *principales*, dicuntur neutrarum partium esse.

§. 1383

Neutralitatem s. neutrarum partium studium eligit, qui non cupit, alterutri eorum, qui bellum gerunt, vi hostili noceri, seu animum hostilem in bello aliorum interesse in alterutram partem non prodit.

§. 1384.

Si gens genti ad subsidia belli quidem confert, non tamen sponte, & animo hostili in alteram partem belligerantem, sed vi foederis jam pridem ante bellum exortum generatim initi, item si gens sponte & sine antiqui foederis necessitate præstat, quæ in bello prosunt, non tamen animo hostili, sed vi antiquæ familiaritatis & prisci commercii, non recusans idem simul præstare parti alteri, si illa hoc desideret, si gens genti præstat, quæ ad augendas in bello vires plane non pertinent, sed cum bello nihil habent negotii, ea non sit belli socia.

Grot. L. 3. c. 1. §. 5. distinguit inter res, quæ in bello usum habent, & quæ in bello nullum usum, & quæ in bello & extra bel-

lum usum habent, hosti allatas vel adferendas. Illas spectari ut hostiles, istas negligi, has posse intercipi, sub onere restitutionis, nisi juris

juris mei executionem impederit subvectio, idque scire potuerit, qui advexit; tunc enim subvectorem teneri de damno culpa dato,

aut retentione cogi ad vendum. Si evidentissima sit hostis injustitia in qua confirmetur ab alio: hunc crimen in me committere.

§. 1385.

Partes belli non sunt milites, qui vi exercendæ adhibentur, hi enim instrumentum magis sunt, & vel coacti vel mercatis causa operas præstant, in quarum justitiam inquirendi illis nulla copia est.

§. 1386.

Belli præfecti sunt, quibus belli expeditio est commissa. Eorum unus est supremus belli dux, reliqui huic sunt subordinati.

§. 1387.

De præfectis belli idem dicendum quod de militibus generatim, si sunt privati homines, id officium subeentes, quia a superiore gentis iis commissum est.

C A P V T CXXIII.

Cui, contra quem, quam hostilitatem & ubi exercere liceat.

§. 1388.

Omni bello debet justa subesse causa, de qua ex iis judicandum, quæ supra tractata sunt. Inter eas non est præpotentia gentis vicinæ sola, nisi ea gens animum nobis nocendi jam ostenderit. Hoc animo ostendo, bellum non tantum inchoare, sed & eousque continuare, licet, donec, infracta potentia, nihil amplius ab hoste confirmato metuendum sit.

Quando bello adoriri liceat
gentes ob inhumanos mo-
res & jus naturæ immaniter

violatum cf. Grot. L. 2. c.

20. §. 40.

§. 1389.

Nemo potest hostilitatem in bello exercere, nisi cui a superiore id commissum, unde nec pagani, nec milites injussi. Qui contra faciunt & principi suo & hosti poenas dant.

§. 1390.

Contra gentem tam principalem quam minus principalem licita est vis hostilis, imo & contra gentem, quæ neutri quidem favet, attamen alterutri adfert, quæ ipsi in bello necessaria sunt. Hujus intuitu enim licet omnia facere, quibus opus, ne hostis adjuvetur, & possunt ei eripi, quæ ad hostem ferre destinabat, incendi, destrui, & si homines sunt, capi, occidi &c. Nec damnum hoc modo genti, quæ neutri studet, datum resarcendum puto, quia invitaretur magis, non deterretur gens quaestuosa, cui damnum datum, ad similia audendum, & ei, qui damnum dedit, invito emendi, aut sumptus adeo, unde nihil lucratus est, faciendi necessitas imponeretur.

§. 1391.

In legatis ab hoste missis retentione vim exercere non licet, si territorium ingressi sunt, antequam bellum exarserit, licet tamen eos, quamprimum bellum exoritur, e territorio abire jubere. Si flagrante bello veniunt, a vi immunes sunt, qui pacis causa accedunt. Alias deprhensi merito in custodiam conjiciuntur.

§. 1392.

Hostilitatis species eæ tantum licitæ, quæ & ad finem obtinendum necessariæ, & sua natura pravitate & vitio non laborant, nec omnibus gentibus periculum protendunt.

§. 1393.

Militum cædes aut vulneratio, quam diu armati resistunt, captivitas eorum, qui vel nocent, vel hosti necessarii aut cari sunt, tributorum bellicorum in territorio hostili exactio, rerum ad bellum gerendum aptarum vastatio earumque direptio, juvenum, qui arma capere possunt, abductio, licita sunt.

§. 1394.

Stupra & adulteria violenta, subditorum & ministrorum ad rebellionem & perfidiam, aut sociorum aliorum-ve ad violandum fœdus, corruptio, eorum, qui inermes sunt, aut arma abjecerunt, aut nocere nullo modo possunt, cædes, rerum omnium, etiam quæ ad res gerendas plane nihil

nihil faciunt, correptio, prisorum possessorum ab agris suis & prædiis expulsio, rerum, quæ in bello, plane innoxiae sunt, destructio & devastatio, promissionum violatio, veneficium, assassinum, arma venenata, hominum in servitutem deductio sunt hostilitates illicitæ.

Horrifica docet de jure hostis in hostem Grot. L. 3. c. 3. secundum justitiam ex-

ternam, deinde tamen ex interna ita temperat, ut noscum conspiret.

§. 1395.

Percussores scilicet insidiatores adhibere, qui sub simulata specie in castra & prætorium se insinuant, ibique clam telo interficiant principem bellique præfectos, juri gentium adversatur. Si tamen incautus sit hostis, & viri fortes singulari solertia, non animadversi, usque ad prætorium processerint, ibique facinus commiserunt, quo belli summa deciditur, nihil est, quod vituperari possit.

§. 1396.

Eum, qui sponte perfidiam offert, audire, & oblatam ejus conditionem acceptare, quodammodo excusationem habet.

Grot. L. 3. c. 1. §. 22.

§. 1397.

Nonnullis hostilitibus, alioquin illicitis, vitium abstergitur, si per retorsionem exercentur, aut ex ratione bellica, quæ est casus necessitatis, ubi omissis iis, quæ facta sunt res salvæ servari non potuissent.

§. 1398.

In territorio gentis, quæ neutri parti addicta, hostilitates exercere erga hostem, earumque exercendarum causa territorium ejus ingredi, non licet. Vbi tamen periculum in mora est, & necessitas a regula recedere cogit, est aliqua excusatio.

C A P V T CXXIV.

De jure captorum, rerum repterarum & contributionum bellicarum.

§. 1399.

Bello captus nihil jurium suorum per captivitatem amittit, & est tantum instar hominis carcere inclusi. Ser-

vire non cogendus, nisi jure retorsionis, aut si alio modo compesci nequit hostis

§. 1400.

Rerum, quæ in bello eripiuntur, lucrum ad superiorem pertinet, qui bellum gerit, nec militi præfectoris veedit, nisi consentiat superior.

§. 1401.

Si res ereptæ penitus in custodiam hostilem, securitatem, & locum destinatum, sunt perlatæ, manent hostiles in perpetuum, & prioris earum domini jus funditus est extinctum. Si quandoque ad locum, unde ablatæ, revertent, aut hosti iterum erepiantur, prius jus domini non reviviscit. Si vero, antequam ad locum destinatum perferrentur, deprehensæ & hosti iterum ademtæ sunt, redeunt ad pristinum dominum.

§. 1402.

Fundi, & regiones ab hoste occupatae, non fiunt ejus, nisi pace ipsi confirmata possessio.

§. 1403.

Postliminium est recuperatio priorum iurium, per captivitatem & erectionem hostilem amissorum.

§. 1404.

Hoc jus, in hominibus captis non necessarium, nec in rebus immobilibus obvium, in mobilibus eo modo obtinet, quo paulo ante dictum est.

§. 1405.

Siper deprædationem bellicam aliasve hostiles extortiones ab'hoste uni plus nocitum sit, quam alteri, aut singulis imposita sunt tributa, quo magis onerantur, quam æqualitas in republica inter cives servanda patitur, aut si non nullæ regiones belli calamitatibus attritæ sunt, reliquis intactis & illibatis, post bellum finitum hæc omnia a superiori in sua republica ad æqualitatem revocanda sunt, ne uni bellum molestius fuerit, quam reliquis. Est enim bellum non res singulorum, sed reipublicæ, ejusque oneribus accensendum. Hæc onera justitiæ distributivæ subsunt.

§. 1406.

§. 1406.

Si hostis uni alterive subditorum, in imperandis tributis, immunitatem indulxit, hoc, recedente hoste, & restituta pace non attendendum est.

§. 1407.

Si hostis, ubi pecuniam aliave imperaverit, ex eo loco recessit, antequam, quæ jussa erant, præstarentur, nihilominus tamen ad hunc locum non accesserunt copiæ principis sui, cum tempus solvendi adventaret, nec incolæ superioris jussu a solvendo retinantur, solvere & possunt & debent hosti eodem modo, quasi is adhuc in loco præsens esset. Si vero copiæ principis sui locum nunc obsident, aut princeps vetat, non licet incolis inconsulto suo principe imperata ab hoste facere.

C A P V T CXXV.

De conventionibus in bello obviis.

§. 1408.

In bello occurrunt variæ conventiones, quorsum 1) induciæ s. paëtum cum hoste, quo hostilitates ad tempus suspenduntur, 2) armistitium, quo paëto cum hoste initio eadem unius negotii peragendi caussa tantum quiescere jubentur, 3) salva guardia, quo pacto hostis certis hominibus aut rebus in terra hostili immunitatem a vi hostili justa, aut specialem securitatem contra illicitas quoque invasiones, concedit, 4) deditio, quo paëto locus aliquis hosti traditur, aut homines se hosti sponte tradunt, cum hic alioquin vi occupariet, quod fuisset negatum, 5) Capitulatio, quo paëto se dedituris ab hoste promittuntur nonnullæ conditiones, se dedentibus ab hoste servandæ & implendæ, 6) paëtum de redimendis aut permutandis captivis, constituto lytro.

§. 1409.

Cæterum quæ de bello inter singulos extra rempublicam diæta, hic quoque repetenda.

C A P V T CXXVI.

De bello minus solenni.

§. 1410.

Bellum minus solenne potest exerceri per modum retorsio-
nis & repressaliarum, aut alia ratione, quamvis repre-
faliæ & in bello solenni obtineant, & ita exerceri possint,
ut in bellum nullo modo, nec in minus solenne, incident.
Hoc bellum semper est offensivum, non defensivum.
Ex reliquo, si a notione belli hujus minus solennis, qua
a bello solenni necessario differt, discesseris, cum solenni
convenit.

C A P V T CXXVII.

De pace ejusque violatione.

§. 1411.

Pax est vel universalis vel particularis, illa comprehen-
dit omnes, qui bello conjuncti fuerunt, hæc unum
tantum vel alterum.

De bello per fortē ut cer-
tamen singulare finiendo

Grot. L. 3. c. 20. §. 42.
43.

§. 1412.

Si plures belli confortes, tamquam partes principa-
les, bellum simul exorsi sunt, nec alter alteri promisit, a
bello per pacem particularem non recédere, a cuiusvis
arbitrio pendet, a bello, derelictis reliquis, desistere, quando
sibi utile videtur. Si aliud conventum, pacto standum
est, donec sit justa a pacto recedendi causa, aut satis-
factum fini, per bellum inchoatum obtinendo.

§. 1413.

Parti, in bello, principaliter non licet pacem inire, non
comprehensis sociis. Quatenus autem socii a societate
recedere possint, ex natura conventionis cognoscendum.

§. 1414.

Omni pacis conventioni & compositio gravaminum
i. e. eorum, quæ bello caussam dederunt, & amnestia,
inest, i.e. remissio læsionum, in bello ab hoste hosti illatorum.

§. 1415.

§. 1415.

Quæ subditus perfide in suam rempublicam, aut hostiliter & prædatorie in bello fecit contra concives, sub amnestia non sunt comprehensa.

§. 1416.

Si bellum inter eos, qui pacem inierunt, recrudefecit, destinguendum, an ex violatione pacis prioris novum oriatur bellum, an ex nova belli causa. Ibi prioris pacis conventio tollitur, & nova, finito bello, ei substituitur, *hic* prior salva manet, & posterior priori adjicitur.

cf. Grot. L. 3. c. 20. §. 27.

§. 1417.

Si, qui bellum suo nomine gesserat, pace inita, ad amicitiam rediit, nunc autem tamquam socius cum hostearma conjungit, pacis conventio non infringitur.

§. 1418.

Si contra pacis conventionem in uno tantum vel altero capite agitur, distinguendum, an violatio sit in articulis connexis, an in separatis. Illa etiam reliqui articuli abolentur, hac secus. Sunt autem connexi, a quibus reliqui pendent, s. sine quibus nec reliqui fuissent conventi, separati, inter quos & reliquos nulla necessaria cohæsio.

Grot. L. 2. c. 15. *Si pars una fœdus violaverit, poterit altera a fœdero discedere,* nam capita fœderis singula conditionis vim habent.

§. 1419.

Articuli principales sunt, qui belli causam concernunt, minus principales, qui secus. Possunt articuli esse minus principales & tamen connexi cum principalibus. Hi autem semper sunt connexi cum illis.

C A P V T CXXVIII.

De tractandis negotiis forensibus in republica, præsertim Jurisdictionis civilis.

§. 1420.

D e negotiis privatis, quæ extra judicium occurrunt, nihil singulare dici potest in republica. De judicia-

libus tractari nequit, nisi intra rempublicam, unde de his nunc agendum.

§. 1421.

Quid sit jurisdictio, quid judex, ex superioribus constat. Ii, per quos jurisdictio exercetur, coniunctim dicuntur *judicium*, licet judicij vox & varias alias apud Ictos habeat significations.

§. 1422.

Potest judicium ex uno judice consistere, aut pluribus, qui coniunctim judicis personam sustinent, si tamen & unus judex sit, habet nihilominus, ut persona judicij principalis, alios sibi adjunctos, qui adsistere ad exercendam jurisdictionem illi debent, homines accessorios. Ad posteriores referendi actuarii, scribae, accensi, executores aliique.

§. 1423.

Judex sit 1) animo & corpore capax ad fungendum judicis munere, 2) partium studii non suspectus, 3) vir bonus & prudens, 4) a superiore constitutus, 5) praesertim ad eam caussam potestatem habens, quæ nunc ad eum defertur, s. competens.

§. 1424.

Potestas judicis in caussis controversis ex notione jurisdictionis ultro definiri potest. In caussis voluntariis, quid concessum judici, quid aliis magistratibus, e formula, usu & legibus regionis addiscendum.

§. 1425.

Officium judicis s. quicquid judici faciendum incumbat, ex natura muneris, instructione, jurisdictionis notione, legibus regionis, cognoscendum. Si quædam facere potest, facere tamen non tenetur, judex, hæc officium nobile ejus constituunt.

§. 1426.

Quod ad negotia jurisdictionis voluntariae judice competente opus non sit, & in his nulla regionum, in quas judicium, potestas divisa, habeatur ratio, jure absoluto dici nequit, sed constitutionis formula inspicienda. Nec
de

de loco, aut tempore, in his negotiis observando, aliquid dici potest, quo a negotiis contentiosis distinguantur.

§. 1427

An caussæ cognitione in iis opus sit, determinabit superior. Si publicæ fidei caussa, aut ut res omnibus nota esse possit, aut ut serio & sedato agatur, aut alia ratione, judicis intercessio a superiore iussa est, ratio officii jam ostendit, quomodo ei satisfaciendum sit. Plenrumque confirmatio judicis novam validitatem negotio non tribuit, nec vitium illi insitum per confirmationem judicis sanatur, nec jus recedendi a negotio, aliqua ratione partibus oriundum, per hanc tollitur, sed fit, ut dicunt, in quantum de jure.

§. 1428

Inter caussas controversas sunt quædam, quæ possessionem concernunt, aliæ, quæ jus, illæ possessoriæ, hæ petitoriae dicuntur.

§. 1429.

Modus & ordo tractandi has caussas controversas in judicio dicitur *processus*. In hoc præter homines in lite obvios, cognoscendi primo singuli actus, ex quibus componitur, deinde eorum ordo & conjunctio inter se scienda.

§. 1430.

Homines s. personæ, quæ item inter se gerunt, dicuntur *litigantes*, vel *principales*, qui sunt tam aggressor, *attor*, quam is, qui contra hanc aggressionem se defendit, *reus*, vel minus *principales*, qui litigantibus adstant, *procuratores*, *advocati*.

§. 1431.

Expensæ litis sunt ab eo refundendæ alteri, qui temere litigavit.

§. 1432.

An personis judicialibus pro operis in lite præstans aliquid solvendum sit a litigantibus, pendet a constitutionis formula.

§. 1433.

In processu occurruunt 1) *açtio*, *responsio*, *exceptionum oppositio*. Respondendum reciproce eosque, donec alteruter nihil novi adferat, sed tantum nova ab altero allata

allata, neget. Exceptio habet naturam actionis a reo erga actorem institutæ.

§. 1434.

2) Probatio & reprobatio, quas dirigit iudex. 3) Sententiæ, interlocutoriæ & definitivæ, & interlocutiones. 4) Oppugnationes sententiarum vel ex novis momentis vel ex anteaëtis. 5) Executio.

§. 1435.

Discerni potest processus mandati & processus citationis. In illo statim ad implorationem actoris mandatum emititur, in hoc altera pars prius in judicium vocatur, ut ad narrationem actoris respondeat.

§. 1436.

Mandatum est jussus judicis, ad unius litigantis implorationem, ad alterum, hoc nondum auditio, emissus, de faciendo aut omittendo, quod actor desiderat. Est vel *cum* vel *sine clausula*: Cum clausula mandatum expresse indulget, exceptiones adferre ad defensionem ejus, quod factum est, sine clausula autem emissum, de his filet.

§. 1437.

Processui mandati locus est, quando statim, nondum auditio adversario, liquet, jus actori non esse, ita, ut vel nulla defensio locum habere possit, vel saltim ab exceptionibus illa petenda sit, quarum probatio reo incumbit. Si prius est, sine clausula, si posterius, cum clausula mandatur. Mandata sine clausula semper tamen admittunt exceptionem sub- & obreptionis.

§. 1438.

Ordinario processus citationis adhibetur, & post cognitum controversiæ statum, ad probationem, denique ad decisionem & executionem, proceditur.

§. 1439.

Si mandatis cum clausula emissis adversarius exceptiones opponit, res degenerat in eum ordinem, qui in processu citationis observatur.

CAPVT

C A P V T CXXIX.

De tractandis caussis Jurisdictionis criminalis.

§. 1440

In caussis criminalibus de judice, judicio, personis judicialibus, eadem tenenda, quæ in civilibus.

§. 1441.

Judex criminalis attendere debet, ne delicta maneat impunita, quodsi vero in crimen reus recipitur, non tantum ea, quæ ad condemnandum eum petinent, conquerere & circumspicere debet officium judicis, sed &, quæ ad defensionem ejus facere possunt, ne is mitior aut durior lege sit.

§. 1442.

In processu criminali occurruunt 1) Corporis delicti investigatio. 2) Auctoris ejus indagatio. 3) Probationis ad utrumque momentum instruētio, 4) suspecti ad carcerem dedūctio, 5) Rei ad confitendum inducētio per varia eruendi veritatem media. 6) Defensio. 7) Sententiarum conceptio. 8) Suppliciorum executio.

§. 1443.

Confessio sola in delictis capitalibus pro sufficiente probatione non est habenda.

Wolf. J. N. Tom. 8. §. 674. *ulteriori probatione puniri potest.*
Qui delictum vel crimen sua sponte confitetur, absque

§. 1444.

Indicia sunt in criminibus, quod in caussis civilibus præsumptiones hominis, i. e. argumenta ad criminis veritatem aut autorem cognoscendum probabilia.

§. 1445.

Nemo ex indiciis condemnandus, præsertim ad poenas capitales aut alias atrociores.

§. 1446.

Juramenti delatio aut juramentum suppletorium in processu criminali exulant.

§. 1447.

§. 1447.

An confessio per torturam extorqueri possit, quæriatur. Mihi is, qui in nostris foris obtinet & lege præscriptus est, tormentorum usus omnino displicet. Non possum probare 1) quod confessio per equuleum extorta habeatur pro valida confessione, cum alias extorsio, metu & cruciatibus facta, vitiosa in jure putetur. Nec emendat vitium ratihabitio, post biduum aut triduum extra locum carnificinæ facta. Nam scit reus, nisi confiteatur, eamdem ludi fabulam & diram quæstionem repeti 2) quod, superatis tormentis, pro innocentie habeatur is, cui tantum constantia fuit, ut hos dolores negligere, nec, ut confiteretur, ullo modo permoveri potuerit. Sic homo nequissimus facilius innocens habebitur, quam qui est liberalioris ingenii. Hic tam indignæ rei mox pertaesus, confiteri malet, quam porro intolerabilia pati. Ille, ad desperationem projectus, & ad omnia jam paratus, sensum doloris post horam transeuntis facile depoñet. Potest tamen quæstionis aliquis usus sanior cum ratione conciliari. Qui plene convictus, ejus confessione non est opus, inde in hoc sua sponte cessat tortura. Ubi non adest plena probatio, ultra dimidiam tamen veritatis partem jam procedit probabilitas, ibi condemnatio, absque confessione, præmatura foret, potest tamen accidente confessione maturescere. Iam confessio præfracte recusatur. Publice intereat, veritatem erui, ergo superabundans probabilitas, si non ad condemnandum, saltim ad extrorquendam confessionem, sufficiet, quam temerarie ut videatur, detrectat nebulo. Ergo arcet sicut carnifex cum tormentis. Iam continuatur inficiatio? frustra fuerunt tormenta. Nunc nec innocentior est reus, quam antea, nec magis convictus. Custodia forsitan perpetua optima erit emergendi via. Confessus est reus? Nihil valet confessio, nisi simul alia per hanc occasionem eruantur, quæ, subducta confessione, convictionem faciunt, aut gradum probabilitatis augent. Hæc sola, quæ per occasionem confessionis deteguntur, retinenda & in usum convertenda sunt, deleta confessione ipsa.

§. 1448.

Carcer & omnia, quæ famam hominis onerant, & res ejus pessimadant, non sunt decernenda, nisi jam multum probabilitatis adsit.

§. 1449.

§. 1449.

Processus criminalis seu ordo & conjunctio singulorum actuum, qui in cognitione, decisione & executione causarum criminalium occurunt, potest esse vel *accusatorius* vel *inquisitorius*. *Accusatorius* est, ubi interveniente accusatore judex officium facit, *inquisitorius* ubi solus, sine accusatore, omnia agit simul, quæ alias sunt accusatoris. *Accusator* autem est, qui per modum actionis insurgit, & tamquam actor omnia ea facit, quæ in processu civili actori incumbunt, ita tamen ut pœnam publicam a judice infligendam postuleat.

§. 1450.

Carceri mancipandus est reus, quam primum, vel ex qualitate criminosi, vel delicti & indiciorum gravitate, fugæ suspicio oritur.

§. 1451.

Eius, qui, criminis atrocioris causa, in accusationem vel inquisitionem deductus est, res familiaris pervestiganda, & bona annotanda, ac custodienda, maxiime si fugæ se dederit.

§. 1452

Fugientem persequi omni modo debet judex, quo eum recuperet, &, si alio modo fieri nequeat, salvus conductus concedendus. Non potest tamen mandari, ut fugiens aut vivus aut mortuus reducatur.

§. 1453.

Contra mortuum processus criminalis inchoari, aut continuari nequit.

§. 1454.

Si homo convictus, aut ita confessus, ut ad pœnam muturus sit, e vivis excesserit, in cadavere potest adhuc fieri executio ad aliorum exemplum.

§. 1455.

Confessio ob contumaciam assunta s. ficta in causis capitalibus non valet.

CAPVT

15 OCT 1998

C A P V T CXXX.

De arte referendi, decernendi & acta atque archiva tractandi.

§. 1456.


Ars acta tractandi, & quidem prima ejus pars, referendi & decernendi scientia, nunc paucis absolvenda. Hic acta integra, non manca, originalia, non exempla, diligenter legenda, ea, quæ memoria comprehendi nequeunt, sunt experenda, & quid sit proprie id momentum, de quo nunc decernendum, aut decidendum, scite & sagaciter eruendum est. Hoc facto rationes juris factique inter se trutinandæ, & ita sententia concipienda.

§. 1457.

Archiva tractandi scientia versatur circa bonum ordinem archivorum. Est autem archivum s. registratura latiori sensu locus, ubi publica fide documenta & acta adservantur, strictiori, ubi documenta & acta res publicas, & gentium conceruentia custodiuntur. Cui hujus archivi custodia & administratio credita, is dicitur archivarius.

§. 1458.

Archivarius curare debet ut (1) archivum sit bene munitum, 2) acta & documenta ita sint posita, ne corrumpantur situ, arrosione, igne, aliove modo, speciatim sigillis conservandis singularis cura adhibenda, 3) ita numeris, litterisque omnia sint distincta, quo facile inveniri possint, quæ desiderantur. 4) Si qua cuiquam utenda traduntur, securitas de restitutione adfit, nomina recipientium notentur, & finito usu commodata reposcantur, restituantur & reponantur. 5) Ea sit receptaculorum indeoles, quæ facilem transportationem admitit 6) Nihil in archivo ponatur, nisi quod fidem habet & veritate nititur. 7) Quæ juncta esse debent, sint consulta & conglutinata, ne dejici & disperdi possint.



הספרייה הלאומית

S 24 C 13713

Ernesti Christiani Westphal



3209080-10

